















Ex Libris Ioannis [illegible]

[illegible]


ltat



STADIVM MEDICVM AD LAVREAM SCHOLÆ PARISIENSIS,

EMENSVM A VICTORE PALLV Turonensi eiusdem Facultatis Doctore, annis ab homine redempto 1628. 1629. 1630.



PARISIIS,
Apud IOANNEM CAMVSAT, via Iacobæa, ad insigne Aurei Velleris.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



In ſtemma SCHOLÆ PARIS. med.

Cur manet hîc? cur non ſedes auis aduena mutat?
Miraris? numquam hinc Phœbus abire ſolet.



AMPLISSIMO AC CONSVLTISSIMO
MEDICORVM PARISIENSIVM
ORDINI ET COLLEGIO,
Victor Pallu S.

QVI aliquo religionis & pietatis sensu ducuntur (clariss. cõsultissimíque Medici) *vbi maximis longæ nauigationis periculis defuncti portum incolumes attigerunt, cursus sui historiam Diuis suspendere ex votiuâ tabulâ consueuerunt. Eâdem religione nunc ego* vobis, *huius* triennis stadij *apud vos emensi tabellam ex voto pono dedicóque, quos præsentes Diuos mihique* propitios

ſemper expertus ſum. Currentem *vt vidiſtis, fouiſtis; &* pronis in beneuolentiam *animis ad metam vſque euntem eſtis proſequuti. Singula non patitur recenſere epiſtolaris modus, quæ vel nouum volumen implerent. Gratitudinis igitur hoc, qualecumque eſt, munus affero, non temeritatis aut arrogantiæ, cuius inuidiam ideò non deprecor. Pudet tamen me tenuitatis munuſculi, ſicũ veſtrâ Dignitate & Auctoritate, quæ in literis maxima eſt, conferatur; verùm eadem tutum vbique præſtabit quod vobis probatum fuerit : tantum eſt veſtræ* Facultatis *nomen, quæ ſola leges ſalutis humano generi dare ſupra cẽſuram poteſt. Inſanit quiſquis illam maledictis minuere attentat, aut ſanè peior eſt viperâ, ſi quis illius bonorũ omnium parẽtis viſcera rodit, cuius maximè beneficio vitâ fruitur gratâ : neſcit quòd dentem infringit ſolido. Efferantur quantumlibet inani tumore Barbari homines : Hic eſt Coüs Senatus qui dum ſuum Hippocra-*


tem fouet ac tuetur, vanos illorum conatus dissipat & despicit. Aderit tandem vester Buuardus *suo merito Archiatrorum Comes amplissimus, qui quâ est in suum Ordinem Dogmaticámque Medicinam propensione, iuratos eiusmodi Græcorum hostes longè profligabit. Neque interim vestræ* Ciconiæ *ferent reptile istud genus impunè virus spargere. Manebunt illæ semper cum Phœbo, cuius vicinum numen testantur: manebunt cum Medicinâ cuius vsum non ignorant, stomachi fastidium origano leuantes; erúntque platano munitæ tutissimum munimentum ab insidiis quibuscumque, mihi præcipuè, quarum auspiciis iam euolare cupio. Sed hinc abesto, liuor:* ἀντιπελαργήσεως, *inquam, non ambitionis hoc est anathema, in æternum cultus erga vos mei monimentum, & seruati Hippocratis Iurisiurandi quod, propositâ parentum loco Præ-*

Ex Pierio in Hieroglyph.

ceptorum reuerentiâ, ſolenne fecit. Vos verò (viri ſpectatiſſimi) quem nuper recepiſtis in Collegam, nunc adoptate in filium, atque vt veſtrum vtroque nomine, amate.

VALETE

Qui orbem valere curatis, & Deus det de humano genere diu bene mereri
ἀνδραγαθούντων ὑμῶν καὶ ὑγιαινόντων.



AD CANDIDVM MEDICINÆ CANDIDATVM

PRÆFATIO.

HABES (beneuole Candidate) stadij nuper à me emensi historiam, tanquam itinerarium, quod vt Collegis gratum & acceptum, sic tibi vtile futurum spero: Etsi nihil te doceat, diriget tamen viámque veluti digito indicabit. Hæc est consilij nostri ratio quocũque modo te iuuare: & dum alij doctrinam voce & scriptis luculenter tradunt; hîc ego tãtùm viam monstro, quæ, vt hoc in primis te moneam, longa est & ardua, ne quis eam cum leui viatico ingredi putet. Qui compendiosâ doctrinâ instructus solum Doctoris Medici nomen ambit, illud aliunde petat: neque enim, sat scio, *Omnibus licet adire Corinthum*. Parisiis om-

nia ſunt operoſa, vbi verè *ars longa*. Ades & videbis quanto ſtudio, quàm pertinaci & improbo labore, quámque parato ingenio hîc opus eſt. Hoc qnodcumque oculis tuis ſubiicitur ſtadium, minimum eſt operæ quæ impenditur ad hanc lauream. Quod ſi me roges ſingula, non grauabor ea, vt perfeci, in tui gratiam recenſere, & negotium omne ab ouo repetere. Primùm itaque philoſophiæ ſacris ritè & maturè initiatum eſſe oportet eum qui ad quemcumque gradũ in hac Facultate aſpirat, in quâ nemo ad vllum examen admittitur, niſi Magiſtralem in artibus lauream ante quadriennium in eadem Pariſienſi Academiâ conſequutus, aut ante octennium in aliâ quálibet. Hippocrates *in lege* poſt naturam, locum ſtudiis aptum in medico inſtituendo præcipuè cõmendat. Qui verò locus ſtudiis aptior cenſeri debet aut poteſt ipsâ Pariſienſi Academiâ, quæ pluribus iam ſeculis Muſarum ſedes eſt & domicilium ? in eâ bibliothecæ paſſim ambulant, loquuntur, ſpirant: ibidem Plato, Ariſtoteles, cæteríque ſapientes veluti per palingeneſim reduces philoſophantur : Cicero orat: Pindarus nouémque Lyrici canunt; nec

eſt Virgilius vnus: illa denique tam præſentibus plena eſt numinibus, vt faciliùs poſſis Deum quàm hominem inuenire. Quod ſi nunc mutato temporum fato nihilominus deſeritur; publicam potiùs quàm ſuam vicem luget; & ſi peiora immineant,

Fatale exitium corde durato feret,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

Huic equidem numquam ſatis poſſum gratulari, quæ mihi in literis humanioribus & philoſophiâ non vulgares præceptores dedit Grangerium & Freyum, ex quorum Scholis plures quàm ex Iſocratis diatribâ illuſtres viri prodiere. Sed cùm vtrique plurima debeam, maxima certè ipſi D. Iano Cæcilio Frey nunc in eadem Academiâ philoſophorum Decano & Coryphæo, noſtræque Facultatis Doctori eximio, qui, dum eo præceptore familiariſſimè vterer in philoſophiâ, me ad Medicinæ ſtudium ſuis de eâ eruditiſſimis lectionibus ſubciſiuis ita pellexit, vt deinde contra amicorum expectationem, eidem ſerio incubuerim. Hinc igitur ego confecto philoſophiæ curriculo, Medicinæ Profeſſores audiui tum Regios, præ cæteris ornatiſſimum nec non ſpecta-

tissimum Seguynum primarium Christianissimæ Reginæ Medicum, de philiatris & arte suâ, quam elaboratissimis scriptis totam digessit & illustrauit, optimè meritum: tum in Schola docentes Lectores clarissimos, mihique semper eo nomine obseruantissimos Merletum & Moræum, qui singulari fide & eruditione docendi munus impleuerunt. Cæteroquin toto illo quadriennio anatomicis dissectionibus & demonstrationibus asiduus interfui, præsertim D. Riolani Professoris Regij, accuratissimi anatomici & merito suo celeberrimi: sæpius etiam D. Caroli Professoris quoque Regij, qui Syluij diligentiæ & eloquentiæ neque hac in parte neque in cæteris cedit, ac eundem forsan liberali in philiatros affectu superat, quorũ gratiâ tempori numquam pepercit, quod in ęgris inuisendis prudẽtique cõsilio suo iuuandis alioquin occupatissimum habebat. Interea verò Candidatum me professus in Vesperiis clariss. viri mihique amicitiâ coniunctissimi D. Bodineau, de proposita quæstione ex Scholæ cancellis respondi. Cùm autem singulis tantùm bienniis circa mediam quadragesimam Candidati ad Baccalaureatum simul pro-

moueantur; eo tandem tempore post confectum studiorum quadriennium adueniente, anno nimirùm Christi 1628. me cum aliis pluribus pro more stiti in superioribus Scholis coram Doctoribus à D. Decano pridie idcirco conuocatis, à quibus vnus nostrûm, omnium nomine, petiit vt ad examen admitteremur. Inspectis itaque ac probatis meis & commilitonum Magisterij litteris, primum illud, πειραστικὸν, durum & seuerum quatridui examen ibidem subiimus, tantum equidem vt nulla artis compendia huic possint sufficere: primo die de rebus naturalibus ordine & methodicè interrogati respondimus, secundo de rebus non naturalibus, tertio de rebus contra naturã, quarto denique datum Hippocratis Aphorismum exposuimus. Nihil tum de curandi ratione & methodo, quæ quarta est & postrema totius medicinæ pars, si quidem priùs oporteat eius principia & theoriam animo comprehendisse, quàm vel de praxi cogitare: quod tamen plerosque aliter facere scio, qui vbi remediorũ formulas aliquot edidicerunt, putant sibi iure suo licere medicinam facere, vrere, secare, & medici nomen, quo nihil

maius est, temerè ne dicam impudenter vsurpant minutuli medicastri, qui (vt Sidonij Apollinaris verbis vtar) parùm docti & satis seduli languidos multos officiosissimè occidunt: de vrinâ iudicant, antequam sciant quid illa sit, & pulsum explorant, primã eius differentiam ignorantes. Non est hic excursus præter rem, ad quam redeo. Post illud examen communibus Doctorum suffragiis Baccalaurei renũtiati, & principio, vt vocant, facto initiati: postea de re herbaria circa festũ solenne Pentecostes examinati, reliquam æstatẽ in priuatis studiis domesticisque exercitationibus traduximus. Deinde hyeme proximâ quasi in aciem educti à Martinalibus ad Liberalia de quæstione quodlibetariâ singuli publicè respondimus. Hîc vix dici potest quantis vigiliis quantisque laboribus macerent se Baccalaurei, cùm vnusquisque in totidem actibus debeat esse ad thesim paratissimus: hîc scilicet vbi de qualibet quæstione ad thesim quoquo modo pertinentẽ (vnde & quodlibetaria dicta est) singulis è re nata respondendum est.

Cernitur in subitis casibus ingenium.

Hîc præterea & parati disputant Baccalaurei aduersus selectam aliquam ex thesi

propoſitâ aſſertionem, ſed mutis (vt vocant) argumentis, quæ quoniam perpetuo orationis filo continuata ſimul reſumuntur, *Reſumpta* dici ſolent. Iis ſe Baccalaurei veluti velitantes exercent ante decretoriam pugnam & certamen, quod poſtea cum Doctoribus nouem in theſi ſubſcriptis aliiſque extra ordinem quibuſlibet, reſpondens Baccalaureus ſuſtinere debet; ac poſt eum cæteri, quibus incumbit propóſitæ cuilibet quæſtioni, extemporali oratione ſatisfacere. Neque verò ad Baccalaureorum ſtudium dumtaxat excitandum & induſtriam acuendam, eiuſmodi velitaris pugna inſtituta eſt, ſed etiam vt propugnantem ſic præuiſa tela minùs feriant. Poſt quodlibetarias diſputationes, à Cineralibus ad feſta Maij celebrauimus Cardinalitias : in quibus non iam velitantes, ſed acriter ſoli diſputant Baccalaurei repetito ſemel atque iterum congreſſu, honeſtâ quidem & liberali æmulatione de gloriâ contendentes : neque enim hîc περὶ χρημάτων ἀλλὰ περὶ ἀρετῆς ἀγῶνα ποιέονται οἱ συνσταδιόδρομοι : Ita profectò in iſto actu velut in cardine res Baccalaureorum verti videntur. Illum duobus quodlibetariis

tertium quondam additum fuisse ex mãdato Illustriss. Cardinalis Totauillæi, à quo & nomen retinuisse videtur, didici ex fastis Academiæ Parisiensis, mihi ab amicissimo & pluribus iam operibus cedro dignis commendatissimo Gabriele Naudæo communicatis. Cùm itaque Baccalaureorum alteri huius actus munere perfuncti fuissent, reliqui in secundum annum post secundas quodlibetarias idem faciendum distulerũt: Interim verò æstate sequente rursus feriati à laboribus & cursu veluti respirauimus, vt postea alacriores ad pensum rediremus. Vnde refectis quasi & instauratis viribus denuo à Martinalibus alterius anni auspicantes, secundas quodlibetarias quæstiones pariter absoluimus: quæ vt plurimũ sunt pathologicæ, quẽadmodũ primę ad Physiologiam pertinere solent, Cardinalitiæ ad Hygieinen, vt sic tres medicinæ theoreticæ partes suo ordine discutiantur. Quibus tandem consummatis bienniique stadio emenso, è subselliis emersimus, & supplicauimus Facultati vt ad examen particulare admitteremur; in quo demũ de medẽdi methodo tũ generali tũ particulari apud singulos Doctores

Nimirùm ann. 1452.

respon-

reſpondimus quos ideò in priuatis ædibus bini conuenimus. Toties tentati & vndique probati, poſtremùm petiimus à Facultate vt nobis aditus ad Licentias pateret: deinde, offerēte nos & quaſi præſtante D. Decano, ampliſſimum Academiæ Pariſ. Cancellarium, cuius eſt conferre hunc gradum, adiimus. Is vbi magnificâ oratione publicè habitâ nos excepit, Oratorem promiſit delegaturum ſe ad nos, qui & Licentiarum diem diceret, & efficeret vt nemo noſtrûm niſi laudatiſſimus tanto munere gauderet. Nos igitur iam iam Licentiandi intellecto Paranymphi die, ad eius ſolennitatem inuitauimus ſupremum Senatum Pariſienſem eiuſque claſſes ſingulas, rationibus regiis Præfectos, ſummos regiorum Vectigalium Iudices, Proprætorem Pariſienſem, Vrbis Præfectum & Ædiles, illóſque Facultatis Medicæ nomine orauimus, vt die lecto in Scholas Medicorum inferiores conuenire vellent ex Paranympho audituri quos, quales, & quot Medicos vrbi atque adeo vniuerſo orbi Medicorum collegium iſto biennio eſſet ſuppeditaturum. Die dicto acceſsit ad nos eloquentiſsimus Orator Petrus Riche-

rius, cuius meritis etiam hoc debemus quod ab adoleſcente laudatiſſimo cumulatiſſimè laudati fuerimus: Porro ille ſingulis noſtrûm ex mandato dicti D. Cancellarij diem & horam denunciauit quâ compareremus in aulâ Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D.D. Archiepiſcopi Pariſ. Licentiæ gradum in Medicinæ Facultate ſuſcepturi. Dies poſtera præſcripta eſt, qua omnes Facultatis Regentes Doctores primo diluculo apud ipſum D. Cancellarium conuenerunt, ibique præſtito coram eo ſolenni iureiurando ſe nihil gratiæ nihil fauori daturos, teſſerulas ſeu tabellas in vrnam coniecerunt quibus Licentiandorum ordo deſcriptus erat. Quibus omnibus à D. Cancellario, antiquiore Magiſtro & Decano collatis, ac ſubinde nobis in dictam aulam horâ præſcriptâ redditis; ſuus vnicuique locus publicè aſſignatus eſt, & vniuerſis pro more Licentiæ gradus collatus. Hucuſque non ſigillatim ſed ſimul quotquot eramus συσταδιόδρομοι omnia geſſimus, ſupplicauimus, admiſſi ſumus, ita quidem vt nulli ſeorſim in ſubſelliis aut licentiis locus eſſe potuerit. Deinceps verò ſinguli ſuo quiſque ordine ſupplicant Facultati pro

Vesperiis & Doctoratu. Quod ego secundum D. Bazinum Licentiatorum iure suo meritóque primum feci ac perfeci. Et hi omnes sunt gradus à pura toga ad palmatam, seu à primo Tyrocinio ad lauream Scholæ Parisiens. ni. ex quadrienni Candidato, Baccalaureus biennis; ex Baccalaureo Licentiandus, deinde Licéntiatus; ex Licentiato post factam supplicationem, Doctorandus, demum Doctor. Hîc ego stadij nostri metam posui: quamquam & vnum restat *Doctoris Regentis* nomen, quod vt consequar oportet me actui quodlibetario priùs præesse, factâ pridie Pastillariâ, veluti quâ in Cathedræ ius & possessionem primùm veniam, propositis & discussis, vt in Vesperiis fieri solet, duabus quęstiúculis. Quod vtrumque Deo volente spero me facturum post proxima Martinalia. Vides (Amice Candidate) quantum est stadium ad hanc lauream, quantáque opera huic negotio impendenda sit, de qua tamen nihil minui aut remitti potest: non enim hæ sunt ad Doctorum libitum leges latæ & statutæ, sed ab ipso supremo Senatu decretæ & semel atque iterum sancitæ, quas proin-

de violari nefas eſt & piaculare. Sed certè ſi tibi aditus videtur difficilis, via longa & labor immenſus: tantò exitus erit iucundior, & corona glorioſior. Vilis eſt triumphus qui ſine bello conceditur, & inanis gloria ad quam virtus ardua gradum non fecerit.

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mî placet parata.

Firma eſt & diuturna fama, quæ occulto velut arbor æuo creſcit; contrà inconſtans & quaſi ephemera quæ præcox eſt, quæque fungi inſtar priùs adulta eſt quã nata: hanc ſi tantùm ambis, fruſtra hîc te Candidatum ſiſtis; quin potiùs Montem illum pete in quo vbi dormieris, de repente Medicum te factum poſſis iactitare. At quid ego nunc conſultoris partes ago? Multò ſatius fuerit te eorum admonere quæ libellus hic complectitur: Nihil ille continet niſi quod in Scholam meditatitus attuli, cætera commemorare tantùm potui non referre. Tu quicũque audiuiſti, eadẽ (vt ſpero) nõ ingratiis leges, eodem plane ſtylo iiſdémque verbis exarata, quibus primùm recitata ſunt. Haberes forſan politiora ſi tunc cogitaſſem de editione: ſed certè conſilium res non

morata vix tempus dedit aduerſaria hinc inde ſparſa colligendi & exſcribendi. Nõ tamen diffiteor aliqua eſſe interpolata pro temporum ratione, quibus ſapiens inſeruire debet. Porro totum opus in tres annos diuiſi, quorum initium ducitur ab æquinoctio verno ſemper incidente paulò poſt mediam quadrageſimã, quòd tum primùm examinati fuerimus & Baccalaurei facti. Primus & alter annus nihil niſi Reſumptas noſtras & Theſes cõtinet eodem ordine quo illæ dictæ ſunt, hæ verò propoſitæ ac propugnatæ: duo Quodlibeta, vt vocant, ad exemplum ſubdidi, neque enim omnium potui meminiſſe. Ex his cætera potes æſtimare quæ longè maiora & difficilora expertus ſum. Tertius annus poſt examen illud particulare, de quo iam te monui, fere vacuus eſt ab eiuſmodi experimentis, & pene totus in gratiis & ceremoniis impẽditur, niſi quod in Veſperiis & Doctoratu aliquot ſelectæ quæſtiones ad exercitationem proponũtur & diſſoluuntur: cæteroquin oratiũculas plures complectitur, quarũ ſeriem & materiã ex titulis appoſitiſq; admonitionibus ſatis cognoſces. His denique omnibus quæſtionem præpoſui, & velut in li-

mine collocaui, quam Candidatus olim dissoluerã. Cæterũ vt vnusquisque intelligat libera esse nostra studia, quâ libertate dixi, eâdem omnia scripsi, ingenuâ equidem & quam, opinor, mihi facilè condonabit qui me satis nouerit.

Suspicione si quis errabit suâ,
Et rapiet in peius quod iuuenili impetu
Dictum magis fuit, consilio quàm malo:
Stultè nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus,
Neque enim notare quemlibet mens est mihi.

Et hæc est tota Stadij nostri atque instituti ratio, (beneuole Candidate) quam si probaueris, omnem inuidiam submouet fœlicitas; sin minùs, saltem lætabor grati animi conscientiâ.

VALE.

APPROBATIO.

CVM VICTOR PALLV collega noſter Medicinæ ſtadium nuper emenſus, illud prælo publicæque luci committendum noluerit, quin priùs cenſuram noſtram ſubierit, & intellexerit placeretne munus quod Vniuerſæ Facultati deſtinabatur: Cenſemus illud Philiatris gratum in primis ac vtile futurum, Scholæ dignitati atque doctrinæ nihil derogare. Et quo aſſenſu dicentem ex ſubſelliis laudauimus, eodem nunc eadem ſcribentem comprobamus. Datum Pariſiis quinto Kalend. Sextiles anni poſt Chriſtum Dominum 1630.

IOANNES PIETRE, *Decanus.*

IACOBVS PERREAV, Doctor *Pariſ.*

RENATVS MOREAV, Doctor *Pariſ.*

CLAVDIVS SEGVYN, Doctor *Pariſ. & patruo ſuccenturiatus Regius Medicinæ Profeſſor.*

SENTENTIA PRIVILEGII Regij.

CAutum est auctoritate Ludouici decimi tertij Regis Christianissimi, ne quis hocce Stadium Medicum VICTORIS PALLV Doctoris Medici Parisiensis, ipso non consentiente, intra sexennium imprimat, néue vendat. Qui secus fecerit, pecuniâ & pœnâ in diplomate æstimatâ mulctabitur; vt latiùs patet in eodem dato Lugduni anno Domini 1630. Et signato.

RENOVARD.

EGo VICTOR PALLV ius supradicti priuilegij totum concessi IOANNI CAMVSAT Librario Iurato, qui primam hanc Stadij nostri Typographiam absoluit 12. Octob. anni eiusdem.

AD LIBELLVM VICTORIS Pallu Parif. Medici clarißimi,

CARMEN.

I Parue codex mole, magne ſed tamen
Doctrina ſi ſpectetur abſtruſa & lepos:
I per manus atque ora iam tandem virûm
Securè, doctâ ab aure nam terſus venis.
Baſia manent te grandéque, vt ſpero, ſophos,
Ab omnibus qui mente candidâ legent.
Faſtidia ſed vitare non eris potis,
Horúmque ronchos aliena qui nauſeant,
Et vt putentur ſapere cælum vituperant.
Nouum arguent ac temero id incæptum nimis
Auſu. Attamen perge: Auibus *in lucem* bonis
Fauſtóque prodis & fauente ſydere.

IACOBVS PERRELLVS
Doctor Pariſ.

IN EIVSDEM PALLVDI Stadium Medicum,
Epigramma ad Candidatum.

NVllus Apollineam ſperet contingere metam,
Qui priùs hoc ſtadium currere non valeat.
Longa via eſt, fateor, variis atq; abdita gyris:
Nec ſine multiplici palma labore venit.
Porrigit at filum, cui dignum à Pallade nomen,
Victor Dædaleum quo ſuperauit iter.

ALIVD AD EVNDEM STADII Medici Auctorem, Tetraſtichon.

Videndus A. Gellius cap. 1. lib. 1.

E Stadio Samius collegit mente ſagaci,
Maiori Alcidem mole fuiſſe virum.
Quis menſus ſtadium hoc, animo te neſciat eſſe
Maximo, & Herculeum non videt ingenium?

Claudius Seguyn Doctor Pariſ. & Regius Medicinæ Profeſſor.

INDEX QVÆSTIONVM & titulorum omnium.

Annus ſecundus.

Annus tertius.

POstquam errata recensui, vnum deinceps occurrit pag. 59. lin. 5. quod in primis sic emendatum cupio [GVENAVLT.]

Alterum est pag. 291. lin. 12. quod licet leuiusculum, hoc tamen modo repositum vellem [qui talem sponsorem inuenerim & laudum pręconem, vel hac parte, &c.]

Pauca, quod sciam, supersunt Typographi menda correctione digna; plurima mea: sed & homo sum, & adhuc iuuenis, quem numquam pudebit errores fateri, atque doctiorem fieri.

QVÆSTIO



QVÆSTIO MEDICA pro vesperiis clarissimi viri D. Bodineav antequam Doctoris pileo donaretur, à me tùm Medicinæ Candidato pro more & captu enodata in scholis Medicorum anno Domini 1627.

An mutationes temporum morbos pariant?



OBSEQVII mei religio (Præses sapientiss. clariss. Medici, auditores ornatiss.) cunctantem impulit, vt his me cancellis sisterem, respondentisq; partes sustinerem, quas vix quisquam acri licet ingenio, & Hippocratico plenus grege satis cu-

mulatè poſſit tueri : has detrectare tenuitatis meæ conſcientia ſuadebat, monebántque ipſa ſubſellia ne inter Medicos obſtreperem anſer olores. Sed vt præſentes Deos hîc aſſidere agnoui qui imbecillos tyronum conatus humanis oculis arbitrantur, oppidò altiores è cœlo ſpiritus hauſiſſe videor, veſtróque ſalutari numine afflatus maiora meditor quàm patiatur exilis ſtudiorum meorum cenſus. Et quidem vt idipſum veſtræ potiùs indulgentiæ quàm meæ arrogantiæ tribuatis, hac pręfatione obnixè poſtulo. Veſtrum eſt igitur beneficium (Proceres Medici) quòd iam aggredior in auguſtiſſimo hoc Mineruę ſalubris Athenæo quæſtionem medicam excutere, atque adeò rogatæ ſententiæ ſuffragio audiri non abnuo. Interim tamen animo non parùm commoueor cui ſit ſermo coram iis haben-

dus, quorum exploratæ & teretes auriculæ nihil niſi eruditum atque elimatum admittunt, neque durum quicquam aut incõditum ſine offenſione ferunt. Verùm quid tot deprecationibus patientiam veſtram moror, attentionémque fatigo? Vos certe qui ſoli Regibus imperatis, Imperatorum ritu paucis eſtis exorandi. Itaque ad rem venio, ſi veniam dederitis, & diſquiro vtrùm mutationes temporum morbos pariant?

Quantùm elementaris regio cœleſti debeat, atque hæc cum illâ naturali fœdere conſentiat, omnibus opinor lippis notum & tonſoribus: ſed quibus nexibus tota mundi compages cohæreat, quoue nutu inferiora trahantur à ſuperioribus, non ita omnibus eſt perſpectum: neque enim mortuo Nerone * cælum terræ miſcetur, aut immortale cum caduco comparatur; ſi quidem inau-

* ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Sueton. in Nerone.

ditum eſt & monſtri ſimile naturas toto genere diſſitas in vnum coire ſimúlque coaleſcere. Neque verò quiſquam diffitetur diuerſos eſſe ordines eorum quæ vltro citróque Luna diſtinguit, niſi qui Ariſtotelem aut oſcitanter legerit, aut negligẽter intellexerit: Et quiſquis ſuperna illa corpora atteri ſuique diſſolutionem & interitum quoquo modo pati cenſuerit, is profectò veritati illudere, atque Peripateticæ diſciplinæ ſplendorem obterere & labefactare fruſtra conatur. Nihilominus cæleſtes iidem orbes quamuis cum ſublunaribus ἀσύμβλητοι, conſtanti tamen & immutabili ſuo motu cæterarum rerum mutationem inuehunt: motu (inquam) ſuo quo viuifici caloris ac luminis beneficia temperant & æquis vicibus diſpertiunt, abs quo foret vt cuncta perpetuo otio damnata marceſcerent. Eſt igitur calor

ille æthereus, luminis vehiculo veriùs quàm Promethei ferulâ ad nos transfusus, generationum opifex communis, qui immixtus omnia miſcet & ſociat, adeo vt in vniuerſi fabrica hic rationem formæ ſubeat, elementa materiæ. Sint itaque iacta hæc concluſionis meæ veluti fundamenta, ni. cęlorum vires in plaga ſublunari præpollere inſtar cauſæ efficientis, externæ, vniuerſalis, & manifeſtæ, quæ licet rerum concretionem non ingrediatur, intimè tamen omnia mouet & afficit, adeóque aut συμπράττει aut ἀντιπράττει pro vario quippe ſyderum ortu & occaſu, nec non vt illa nunc inclinant ad noſtrum verticem, nunc ab eo declinant; vt opponuntur per aſpectus multiplices, vtque coëunt inuicem, vnde Lunæ ſilentia Soliſque labores præſertim obſeruantur: Ex quibus ſerena conſtitutio aut nubi-

la, imbres, venti, & quæ Græcis di-
cuntur μετέωρα portenduntur exci-
tantúrque. Licet itaque ſtabili lege
cieantur ſempiternæ illæ ſphæræ,
quia tamen multis iiſque oppoſitis
voluminibus tempora diuidunt, at-
que calorem viuificum aliter atque
aliter diſpergunt, hinc fit vt penes
ipſas *motus*, penes nos verò *mutatio*
inſignis ſpectari debeat & æſtimari.

Boët. lib. 4. metro. 6.

Iiſdem cauſis verè tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æſtas Cererem feruida ſiccat,
Remeat pomis grauis autumnus,
Hyemem defluus irrigat imber.

Nota temporũ mutationem bifariã accipi apud Gal. com. in 1. aph. ſect. 3. quẽ interpretatur de vna tantùm, nos hîc de vtraq.

Neque verò debilior eſt in μικρο-
κόσμῳ iſta tẽporum viciſſitudo quàm
in μεγαλοκόσμῳ: Etenim qualis eſt aër
talis eſt ſpiritus quo veluti vinculo
vita omnis continetur firmatúrque,
auctore Hippocrate in Epid. Et in
Aphoriſmis auſtrina aëris conſtitu-
tio nebuloſos ſpiritus ingenerare di-

citur: porro qualis ſpiritus, talis humor in corpore dominatur, qui affines morbos prouocat, v. g. ſanguis conſanguineos; imò quoſuis dum vehementi temporum mutatione commouetur, & eorumdem inſolenti varietate alteratur: natura ſiquidem ſubitas eiuſmodi mutationes perferre nequit, præſertim ſi fiat tranſitus ab vno extremo ad aliud; neq; quidquam illius tonū magis infringit, qualitatúmq; harmoniam & concordiā magis euertit, quàm præceps eiuſmodi caloris aut frigoris viciſſitudo; veluti ſi quis ferrum candens frigidæ immergat, eius temperaturam longè citius deſtruet, quàm ſi illud ſuæ naturæ ad frigus ſenſim rediturae permitteret. Sic grauis & internecînus Autumnus, propter inſignem quam habet inæqualitatem, eſſe ſolet; vt non abs re denicales feriæ eo vergente apud nos ce-

καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ, &c.

lebrentur. Præterea vnicuique anni quadrę ſui ſunt cōgeneres affectus, in quos tū facilè incidit quiſquis affini temperamento & complexione prę-ditus eſt, vt paſſim inculcat admirandus Hippocrates, eiúſque interpres Galenus, idque luculenter in aphoriſm. 18. & 19. ſect. 3. Quin etiam aphoriſmo 34. ſect. 2. dicuntur minùs periclitari quorum morbus tempori cognatus eſt. Idem diuinus ſenex à ſe numquam diſcedens ſeptem præcipuè tempora Medico obſeruanda monet lib. de aëribus, locis, & aquis, ni. duo ſolſtitia, duo æquinoctia, Arcturum, Vergilias & Caniculam, de quibus ſingulis totidem aphoriſmis decernit. Et quod ſæpius τὸ θεῖον ipſe vocat, Galenus interpretatur de aëre qui pro varia cælorum conuerſione aliter atque aliter ſe habet. His demum tertius ſeſe adiungit naturę genius Ariſtoteles, qui plus

Alioquin contrarios ſoluit mutatio hæc tēporum, de qua tamen & intelligendus aphor. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων, &c.

Vbi Aſtronomiam nonparùm idcirco ad Medicinã conferre docet.


Commēt. 1. in progoſt. Hipp.

ſexaginta problematis hanc doctri- Sect. 1.
nam illuſtrat, διὸ δεῖ ἐν ταῖς μεταβολαῖς μάλιστα διακυβερνᾶν, ait ibid. Hinc Fernelius veſter lib. 2. de abditis rerum cauſis tria recenſet in aëre communium morborum genera, Endemium à terrenis inferioribúſque expirationibus, Epidemium à vehementi temporum tempeſtatúmque mutatione, & peſtilentem à malignâ qualitate cælitùs demiſſâ, ſiue (vt Iliad. α.
cum Homero fingam) ab Apolline contortâ atque vibratâ: Sed & quàm atrociter ſæuiat in ipſis temporum mutationibus peſtilẽtis contagij labes quotidie noſtro malo ſatis experimur. Tandem verò non ſolùm annuâ temporum mutatione, ſed & ſeculari morbi inuehuntur, iique plerumque noui qui ſubinde ſuas habent ætates, & diuerſis ſeculis diuerſi graſſantur, vt præter alios lo- Lib. 8.
cupletiſſimus eſt auctor Plutarchus Probl. 9.

in ſympoſ. vbi ſingularia huius nouitatis adducit exempla, vt & Plinius cap. 1. lib. 26. Patrum noſtrorum ætate frequens erat Elephantiaſis, quæ nobis nunc obſoleſcit. Et hodie gliſcit ſcortorum lues ſyphilis peregrinus cum nouo nomine affectus; accedúntque in dies ignotæ morborum ſpecies veluti cum arte veſtrâ ex inſidiis bellum gerentes. Quæ quidem vno eruditiſſimorum quorumque philoſophorum ac Medicorum conſenſu nouæ cælorum poſituræ & impreſſioni potiſſimùm imputanda ſunt, ſiue occultæ, ſiue euidenti & à nobis vtcumque perſpectæ, vt mittam cæcos illos & latentes influxus, quibus ſublunaria regi & gubernari autumant, *qui os ſuum poſuerunt in cælo*, nobis verò nondum contigit eſſe tam beatis. His nihil iam ſupereſſe arbitror niſi vt ſolemne Dictatoris Coi edictum hîc coro-

nidis loco attexam, quod est primum tertiæ sect. suæ νομοθέσεως ἀφοριστικῆς, Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Ergo mutationes temporum morbos pariunt.



QVÆSTIONVM EX subselliis Medicorũ per biennium agitatarum, quas vulgò Resumptas vocant,

PARS I. PRIMO ANNO dicta, à Martinalibus anni 1628. ad esuriales ferias Quadragesimales anni sequentis.

RESVMPTA I.

An mulier semen proletarium seu genitale emittat?

In primo ad subsellia ingressu postquam Baccalaurei gradum adeptus sum.

PRÆFATIO.

SALVE *magna parens Diuûm, Phæbeïa tellus,*
Magna virûm, atque iterum quam nata es ferre salutem

Accipe, dum primùm ſubeo tua templa ſcholámque
Ingredior, ſanctos auſus penetrare receſſus.
Adſis ô cæptiſque faue exoratus Apollo,
Atque tuis dudum cupidam artibus imbue mentem.
Da mihi te facilem, placidos vultúſque tuorum,
Quorum nos vrget præſentia, redde Nepotum.
His dignas genióque loci da fundere voces,
Prægreſſæ & calcata ſequi veſtigia turbæ.

Quod igitur fauſtum, fęlix, fortunatúmque ſit, commilitones lectiſſimi. Ampliſſimus hîc ſeſe oſtentat diſputationis campus, in quo mihi hanc Iatricam palæſtram primùm ingredienti liceat aliquantulùm excurrere & exſpatiari: Inuocatâ priùs beneuolentiâ prudentiſſ. huius actus

Moderatoris, ſapientiſſ. Præceptorum, totiúſque ornatiſſ. conſeſſus. Proponis (Erudite Puylon) duo generationis noſtræ principia, nimirùm vtriuſque parentis ſemen quaſi principium agens ſeu à quo, & maternum ſanguinem quaſi patiens ſeu ex quo; ac ſi liquidò conſtaret fæminas genitiuum ſemen emittere miniméque irritum: Cùm tamen id curioſus naturæ ſpeculator Ariſtoteles palam inficietur, multis iiſque non contemnendis rationum momentis. Quis enim de maſculino ſexu tam humiliter ſentiat, vt ipſum à fæminino ſuperari in ſpeciei propagatione exiſtimet? In ea (inquam) actione quâ ſolâ humanum genus æternitatem aſſequitur. Quod tamen admittere cogitur quiſquis mulierem non tantùm ſanguinem, ſed etiam fęcundum ſemen ad generationem conferre cenſuerit. Et ne quis id putet à

Lib. 1. d generat animal.

philoſopho tolerari poſſe, attendat generationem cæterarum naturalium actionum eſſe finem, à quo omnis viuentium perfectio abſolutióque æſtimatur; ſi quidé vnumquodque tum demum perfectum céſetur, cùm ſibi ſimile generare poteſt, vnde pueri, monſtra, & omnia ſponte naſcentia hac facultate immortalitatis vindice ſpoliata ſunt: Quare & perfectius illud erit quod plures in ipſa generatione opes profundit. Quo pacto mulier dignitate ac perfectione longè virum ſuperabit, ſi vtrumque generationis principium ſola ſuppeditet: Quin etiam ſola generabit citra maris copulationem, cui id tantùm incumbet vt ſecundas teneat, & opus tantæ molis adiuuet. Equidem conſultiùs ſentire videntur Peripatetici, qui, cùm in omni naturâ debeat alicui agenti aliquod patiens reſpondere, mulierem pa-

tientis locum obtinere ſtatuunt, marem verò agentis. Et certè vterus materiam & locum generationi idoneum ſubminiſtrans, idem præſtat animalibus quod terra plantis, vt docet Ariſtoteles. Vnde non minùs phyſicè, quàm comicè fundum mulieris arare, & κῆπον incolere hortulanus Priapus dicitur. Nemo autem quantumuis ruſticus terram in plantis producendis, aliquam efficiendi vim obtinere dixerit. Fertilis ager vbi ſemina excepit, & alibili ſucco irrigauit, eorum vim latentem calore cęlitùs aduenienteſuſcitat, mouet & promouet, quâ ſubinde vegetantur, erumpunt ex terræ ſinu, adoleſcunt, gemmant, florent & matureſcunt. Non aliter vterus viri geniturам, ſeu, vt loquitur Plinius, genitalem vrinam concipit, quippe qui blando ſuo vitalíque calore prolectam fouet ac fœcundat, atque inſi-

Cap. 2. & Gal. li. de formatione fœtus.

tam eius facultatem ἐξ ἀργίας εἰς ἐνέργειαν educit: Eandem incocto illo & ſeminis ſpeciem gerente humore, quo perfunditur attemperat, eiúſque molem auget non virtutem: Is enim cedit in materiam ſeu, vt ipſius Galeni verbo vtar, in alimentum vegetanti ſemini virili, donec natura ſubminiſtret menſtruũ ſanguinem, quo partes perficiantur, alantur, & augeantur ad partus vſque tempora. Hinc forſan Ariſtoteles ſapientiſſimè dixit hominem primùm viuere in vtero vitâ plantæ. His non leue accedit argumentum à mulierum temperamento petitũ; mulier enim & voce & pilis & corporis habitu, atque forma *puero ſimilis nec non ſpadoni*, ac proinde quaſi mas inſeminis eſt, vt vertit Gaza, ὥσπερ ἄῤῥεν ἄγονον, inquit Philoſophus, vnde & mas imperfectus & πεπηρωμένος, atque etiam monſtrum ab eodem non vno

Cap. 20. & lib. 5. c. 3. ſub finem. Item Galenus l. 10. de ſimp. m. f. cap. de felle.

loco appellatur, ἀδυναμίᾳ γὰρ τινι τὸ θῆλυ ἐστὶ, τῷ μὴ δυνάσθαι πέττειν ἐκ τῆς τροφῆς σπέρμα τῆς ὑστάτης. Enimuerò quî fieri poſſet vt mulier, quæ propter temperamenti frigiditatem ſanguine incocto redundat, ſemen recoctum excernat, atque generandi vi præditum, cuiuſmodi ſummam caloris depoſcit elaborationem. Quin etiam puellarum atque maſculorum maturitas ſeu pubertas eodem ferme tempore contingit, ſed his, dum τραγίζειν incipiunt & ſemine turgere, illis dum primùm menſtrua erumpunt. Quare mas formam & principium motus præbet, fœmina corpus atque materiam. Namque & quod generet, & ex quo eſſe oportet: vnde marem dicimus inter animalia quod in altero gignit, fœminam quod in ſeipſo & ex ſeipſo, non tamen à ſe; Ita quidem vt ille Phidiæ, hæc & officinę & materiæ reſpondeat. Et quemad-

modum oua quæ auium fœminæ mutuâ inter se libidinis imaginatione sine marito concipiunt, ὑπηνέμια sunt, subuentanea, & irrita: sic & seminalis ille humor quem puellæ catulientes solæ profundunt, prorsus inanis est & sterilis: Quod enim est in ouo germen, hoc est in vtero semen masculinum; albumen velut fœmininum, luteum verò sanguinis menstrui vicem omnino subit. Demum natura fœminarum partes ad recipiendum efformauit, masculorum ad immittendum, quorum est agere & agitare, vt illarum pati & motum sustinere; vnde non abs re ludens poëta *sceptrum* laudat, *pathicæ quod petunt puellæ.* Sola tamen mulier virum quieta vix admittit, quin voluptatis impatiens fluctuáte lumbo crissat, ceuentem reciprocat, & plerumqne anteuertit: Quod cùm brutæ patientiùs ferant, primo coitu

implentur: Mulieribus contrà frequens inde ἔκρεοις Lucinam fallit, quæ alioquin quietæ & citra voluptatem plerumque concipiunt ex cap. 19. lib. 1. de gener. animal. Quæ ſane omnia innatã in ſequiori ſexu tantùm patiendi legem palam declarant. Prætereo quod profanus Paracelſus contendit etiam extra vterum poſſe pullulare maſculinum ſemen vitreâ cucurbitâ exceptum, & arte chymicâ ſuſcitatum: hoc enim impium eſt, atque, vt ego arbitror, ἀδυνατον. Sed mihi iam contrà videris Galeni auctoritatem obtendere, omneſque has argumentorum petitiones leui, vt aiunt, declinatione eludere. Satis enim nouiſti qualis quantuſque ſit vtriuſque ſeminis motus, quorum quidem maſculinum præpollet, atq; agentis dignioris & præcipui partes ſuſtinet, alterum minus præcipui, ita tamen vt ſuum quoq; in operando

Lib. de natura rerũ.

munus obeat, ne videlicet natura aliquid frustrà fecisse accusetur. Patere tamen vt Galenum Galeno opponā, qui contrarium sentire videtur cap. 1. lib. 14. de vsu part. his verbis, *Fœmina cùm masculo frigidior sit, incoctum & tenuem in parastatis humorem habet, qui nihil ad prolis generationem cōfert, ideóque suo iam functus officio effunditur, in vterum verò trahitur alius, marium nempe humor.* Quibus verbis muliebri semini vim procreatricem prorsus denegat, quippe cuius ὑγρότης non sit ἔμβρυος, nec eo spiritu perfusa quo virilis spumescit & albicat, sed incocta & tenuis: Quare ei quoque seminis nomen meritò denegasse videtur, ille numquam satis laudatus Aristoteles. Tu víderis, doctiss. Baccal. pro ea quâ plurimùm vales ingenij solertiâ & eruditione, quid his rationibus & auctoritatibus possit responderi.

RESVMPTA II.

An in venis à frigore αἱματοσυώπηξις?

GEOGRAPHORVM mappa quotidianis noſtrorum hominum nauigationibus ita excreuit, vt antiquus orbis noſtri compendium fuiſſe videatur. Non minori progreſſu medicorum ſcientia quæ in microcoſmi inquiſitione ſedulò occupatur, aſſiduis eruditorum phyſiologorum lucubrationibus in dies ita locupletatur, & nouis obſeruationibus augetur, vt in ea ſemper *aliquid vltra* ſuſpicari liceat. Quot, amabo, nouas regiones recentiorum Anthropographia detexit? quot ſinus aperuit? quot abſtruſa venarum ceu fluminum oſtia penetrauit? Et dum curioſâ diligentiâ naturæ receſſus

penitiùs ſcrutatur percõtatúrque, ſe etiamnum multa ignorare fatetur. Sed ne tam lõgum iter percurramus, mirum certè quàm multiplici ac insolenti nouitate in morbis natura fallit, adeò vt veriſſimum ſit illud Plinianum *naturam à miraculis numquam ceſſare.* Iampridem viſæ ſunt in agro Turonenſi aquæ è rupibus emicantes, ab ipſa ſcaturigine in lapidis duritiem concreſcere. Sed hactenus inauditum eſt ſanguinem in ſuis fiſtulis ſolideſcere, & coralli modo fruticari. Id profectò (Papyri prętextate, in quo velut ex Mercurij βάσῳ νοῦς diuina eminet) clariſſimo doctiſſimóque patri tuo debemus, cuius operâ prudentíque conſilio populus Pariſ. & magnates ſuo quiſque tempore vſi ſunt ſine ſuperbiâ. Ille ſiquidem quo eſt in philiatros affectu, noluit hoc nuper à ſe viſũ morbi funeſtiſſimi ſymptoma deinceps la-

D. Bazinus intelligitur.

tere,& medicis imponere. Nec certè parùm ad tanti beneficij cumulum contulit ſapientiſſimus huius actus arbiter Brayerius, qui doctrinæ ſuæ ſplendore ita quæſtionis obſcuritatem illuſtrauit, & ingenij acumine difficultates ſoluit, vt nemo iam eius cõcluſionem poſſit expugnare, cùm præſertim te fortiſſimum habeat propugnatorem. Attamen quia huius inſolentis euentus cauſa tardos fugit, patere me tantiſper remorari celeres mẽtis tuæ diſcurſus, dum tibi dubia quæ me ſollicitũ habent proponam. Si modò veniam roganti non denegauerit prudentiſſ. &c.

Ponis efficientes cõcretionis cauſas calorem & frigus de quibus tecum conuenio, cùm id nos doceat Ariſtoteles 4. Meteor. nec repugnãtem habeat Galenum. Sed dum ſubſumis ipſas in venis ea efficientiâ poſſe reperiri, vt in iis etiam ſanguinis

concretionem promoueant, hoc est quod me magnoperè exercet, ac præsertim si frigus efficientem huius cõcretionis causam præcipuam, vt admittis, spectemus. Nam dum venarũ temperiei earúmque tepori sanguinis φυλακὴν & inconcretionem, vt ita dicam, tribuis, ita videris sentire, vt illarum intemperies præcipuè frigida concretionem efficiat. Et ita posito falso antecedenti sequitur falsum consequens. Quare sic licet argumentari. Contrariorum contrariæ sunt causæ: Sed venarum tepori sanguinis conseruatio adscribi non potest: Ergo nec frigori concretio. Etenim viuente animali sanguis effusus intra corpus non tantùm tepidum, sed etiam calidum, statim tamen concrescit: quare vt ad illarum teporem sanguinis inconcretio referri non potest, sic nec ad frigus concretio. Quod vt verum sit, patet

αἱματοσυώπηξιν in venis à frigore fieri minimè potuisse, sed potiùs ab occultâ aliquâ & veneficâ qualitate: quemadmodum enim in iis liquidus conseruatur sanguis, non per manifestam qualitatem, sed potiùs per latentem quandam totius substantiæ proprietatem, simili modo & ipsum in iisdem concrescere est necesse. Extra vasa quidem, non tam frigoris quàm fibrarum ratione, concrescit defectu loci conseruantis; at verò locus seu causa ipsum conseruãs, non potest fieri destruens, nisi per qualitatem sub eodem genere contrariã. Certè Ctesias scriptis prodidit radicem quandam apud Indos haberi, quæ aquæ aut vino exiguâ portione imposita, illa ita condenset, vt manu teneri atq; ceu cera tractari possint. Et Plinius lib. 24. c. 13. tradit ex mente Pythagoræ aquifolij arboris florem, & c. 17. Coriacesiam calliciám-

que herbas aquæ immiſſas, illam congelare ſua proprietate. Quæ ſanè vt caliditati & frigiditati tribui non poſſunt, ſatis arguunt concretionis cauſam aliunde ſæpius eſſe repetendam. Præterea abſurdum eſt ſanguinem invenis congelaſcere, ſeu à frigore concreſcere ſuperſtite animali. Quod tamen non obſcurè innuis tertio tuo & quarto coroll. in quibus mihi plane videris Ariſtotelem deſerere & veritatem. Etenim animalia ſanguinea quamdiu reſpirant, calorem habent non tantùm potentiâ, ſed etiam actu; quod vel indicat ipſa reſpirandi neceſſitas: Et quocũq; modo venarũ natiua temperies diſſoluatur, eæ tamen quamdiu vita manebit, ſuum ſeruabunt teporem, ſi non ab inſito calore ſaltem à corde influentem, & arteriarum nedum viciniâ ſed & per infinitas anaſtomoſes communione excitatum,

ac veluti refocillatum. Neque tamen diffiteor ſanguinem tunc craſſiorem, & ad motum ineptiorem fortè reddi, quemadmodum & graui metu oppreſſis ac pene exanimatis *coit gelidus circum præcord a ſanguis.* vt ait Poëta. Sed abundè nouiſti tum ex Galeno tum ex Ariſtotele, aliud eſſe concreſcere, aliud craſſeſcere; ſi quidem concretio ſit rei liquidæ & mollis induratio, craſſities verò denſatio: hæc quidem via eſt ad concretionem, ſed tamen concretio non eſt. Hinc Gal. 2. de temper. docet ſiccitatem partium in homine ſolo ſenſu deprehendi, *eò quòd* (inquit) *tanta in eo frigiditas eſſe non poßit, vt aliquid in eo concreſcere in duritiem queat.* Quòd ſi dicas id quidem fieri non poſſe in totâ ſanguinis maſsâ ſuperſtite animali, ſed tantùm in aliquâ parte. Repono neceſſariò necroſim præcedere eiuſmodi concretionem

debere in quacumque tandem parte illa fiat. Sed quid dico necrosim præcedere? Cùm nec extincto animali sanguinis concretionem in venis factam, nisi forsan à penetrabili frigore, vllus vsquam ante hunc diem viderit. Idipsum omnia reclamãt theatra anatomica, ipsáque communis experientia refellit. Nouissimè tamen repertus est in cadauere hominis morbo, & vitâ nuper defuncti & pene adhuc calentis, sanguis in venis etiam maioribus totus concretus. An nos sensibus obloquemur? minimè verò: Rara nec sunt artis, nec naturæ.

RESVMPTA III.

An anima ſicca humidâ viuacior, prudentior?

NEMO non miratur (docte Reſpondens) cùm totâ tuâ theſi plane Aphoriſticâ nil niſi Hippocraticum ſpires, hanc tamen tibi velut aliud agenti propoſitionem excidiſſe, quâ aſſeris animam ſiccam humidâ viuaciorem, prudentiorem. In quo mihi plurimùm videris aberrare; neſcio an vt hoc næuo maiorem toti operi gratiam conciliares. Quâ enim mente aut quo conſilio (ſi quidem id conſilio factum eſt) hoc ἄδοξον δόγμα Hippocratis decretis interſerueris, non video: an vt nomen & famam hac paradoxi nouitate quæreres? vide tamen ne

frustrà sis; neque enim leuem tibi, licet veterano iam militi, in hac arenâ pugnam ominor, cuius ego velitationem tentabo, si conatibus nostris annuerint numina, hoc est, sapientiss. huius actus moderator, &c.

Ac primùm ne nos nominis homonymia fallat, hîc animam siccam (si rectè sentio) non intelligis sobriá & ieiunam, quemadmodum Plautinus ille parasitus, eo enim sensu madidum sicco procul dubio prætuleris. Sed cùm humidum & siccũ apud medicos propriæ sint temperamentorum differentiæ, hîc per animam siccam temperamentum à te designari facilè conijcio, suspectâ sanè loquendi figurâ, atque etiam vel Galeno iudice damnandâ. Sed id tibi donemus. Videamus igitur an qui licciore temperamento sunt præditi, viuaciores sint ac prudentiores. Nullus, opinor, ante hunc diem vitam in

sicco

ſicco poſuit, quæ non aliter defini-
tur quàm permanſio calidi in humi-
do, adeò vt omnis animantium viua-
citas à copiâ humidi repetenda ſit;
quò enim vberius eſt pabulum, eò
luculentior ac diuturnior eſt calor,
qui dum proprium ſubiectũ ſenſim
abſumit, ſiccitatem inducit ſibíque
tandem tabem arceſſit & interitum;
exhauſto ni. humido nec eo tali &
tanto reparato: Ita vt tantum de vi-
tâ decedat, quantum de humido de-
perit, neque aliud quicquam eſſe vi-
deatur noſtrũ viuere quàm ſiceſce-
re. Hinc appoſitè Homerus viuidos
& florentes ætate viros διεροὺς appel-
lat, & apud eundem ἰαίνεσθαι ſeu hu-
mectari eſt refici & recreari, vt notat
Plutarch. lib. 8. ſymp. probl. 10. ἀλί-
βαντες contrà ſenes dicuntur quaſi
exſucci & σκελετοὶ, ibid. & apud Gal.
cap. 3. lib. 1. de temperam. Et certè
γῆρας nihil aliud eſt quàm μάρανσις ſeu

ſiccitas naturalis, cui reſpondet αὔανσις ſeu ariditas in plantis, ex Ariſtotele 4. met. nec non Galeno lib. de maraſ. & paſſim alibi. Quod autem ſenectus hyemi analoga, & catharris præ cæteris ætatibus obnoxia, atque adeò excrementitiâ pituitâ & aqueâ humiditate ſcatens; idcirco pleroſque in errorem induxerit temperamentum ex excrementorum redundantiâ æſtimantes; non eſt hîc operæpretium pluribus refellere, cùm id iam cumulatè tuis manibus quotidie tritus Fernelius præſtiterit, cap. vlt. lib. 3. phyſ. Et tu temperamentum illud ſpurium, atque ἐπίκτητον non cures. Sed quid ego cum ventis litigo? aut quid teſtibus opus aduerſus confitentem reum? Vide enim quàm tibi malè conſtes, qui mox ſubiicias ſtupidos eſſe longæuos: An non quia in iis propter inertiam humidum illud primigenium tardiùs exareſcit?

Sed fortaſſe dices viuacitatẽ hîc pro ingenij alacritate eſſe poſitam. Certè viuax apud Latinos, auctores annoſum & longæuum ſignificat, aut validum & vigoris plenum, inquit Sipontinus; numquam (quod ſciam) ingenioſum: ſic apud Virg. Ecl. 7. *Viuacis cornua cerui*: apud Ouid. 12. metam. in Cæneo. *Viuacémque animã miſsis elidite ſyluis*: apud Plin. cap. 50. l. 7. *ſenecta in pœnam viuax*: & ſic paſſim alibi. Viuacitas Columellæ εὐζωΐα, Quintiliano μακροβιότης, nemini, quem viderim, εὐφυΐα aut ἀγχίνοια; Nolim tamen diffiteri te exemplis carere, quibus iſtam nominis expoſitionem comprobes. Quare id iam vltro tibi concedo, & probo temperamenti ſiccitatem abſolutè, non conferre ad ingenij præſtantiã, atque prudentiam, idque vnico argumento. Temperamentũ temperatiſſimum perfectiſſimum eſt natu-

ræ instrumentum, & ad omnes animæ actiones obeundas maximè idoneum, ac præsertim in homine cuius temperamentum ad iustitiam temperatum est ad pondus: Ergo temperamentũ temperatum potiùs, quã siccum confert ad ingenij excellentiam, atque ad prudentiam, quæ propria est & præcipua hominis actio. Præter rationem propositio hæc cõfirmatur auctoritate nobilis triumuiratus Hippocratis, Galeni, & Aristotelis. Hipp. lib. de aëre, locis, & aquis, laudat Asianos, vt in medio omnis excessus positos & temperatissimos, nec eos hebetes, quemadmodum tu, sed ἠπιωτέρους καὶ εὐεργοτέρους asserit, qui proinde institutione magis & consuetudine, quàm naturæ vitio in molles euadant & effæminatos. Idem lib. de flatibus, ait inter omnia quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam cõferre quàm

ſanguinem: (puta purum & quantitate ac qualitate moderatum, quatenus ſpirituum animalium eſt materia, alioquin ſanguinei ex Galeno ſimplices & ſtolidi) *hic ergo* (inquit) *cùm in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia; ſanguine verò mutato* (1. *à temperie recedente*) *concidit & prudentia.* Galenus 2. de temperam. prudentiam homini εὐκράτῳ præ cæteris tribuit. & lib. quòd animi mores ſequantur corporis temperam. ex eo quòd anima à temperamento proficiſcatur, mentis perſpicaciam in exquiſitâ corporis temperie abſolutè conſiſtere contrà Platonicos & Heraclitum docet. Quod ſi ibidem ille vt & Ariſtoteles, probl. 1. ſect. 30. aliique claſſici auctores ſiccum temperamentum laudant, & cæteris anteponere videntur: Id certè non abſolutè faciunt, vt attentiùs legenti perſpicuum fiet; vel enim illud cum cæ-

teris intemperatis tantùm conferũt; vel in vnâ duntaxat aut alterâ ingenij facultate illud præ cæteris commendát, non in omnibus, quale tantùm temperamentum temperatiſſimum abſolutè præſtat: vel certè eos ſolùm melancholicos intelligunt, qui iugi ſtudio mentíſque agitatione ex temperatis tales euadunt; vnde ipſemet Ariſtoteles problemate laudato hæc habet. *Nam ſi omnino merus bilis atræ habitus ſit, melancholicos admodum eſſe neceſſum eſt: ſin autem quendam in modum temperetur, egregij ſingularéſque inſtituuntur: hi tamen ſi parùm ſuæ valetudini conſulunt, facilè in vitia bilis atræ labuntur, alij parte aliâ ſui corporis: alij namque in morbum comitialem incidunt, alij attoniti* (ἀποπληκτικοὶ) *fiunt, alij vehementiſſimè anxij, aut formidoloſi redduntur.* & quæ ſequũtur. Vt hinc diſcas cur tot egregij heroës initio problematis propoſiti, his morbis

fuerint obnoxij, nimirùm contracto per ſtudia habitu melancholico. Porro ibidem temperamenta diſtinguuntur penes meláncholiam hâc vel illâ qualitate præditam, quòd ipſa ſit velut omnium humorum baſis, ita vt per melancholicos temperatos, nihil aliud intelligi velit Philoſophus, quā abſolutè temperatos. Quare concludit natiuam melancholiam ſolam, cuiuſmodi deſcripſit i. reliquis humoribus temperatam, per ſe tantùm facere ad ingenij præſtantiam, non craſſam illam & excrementitiā, quæ per intemperiem & morbos plurima ſuccreſcit. Hinc idē ipſe 2. de anim. cap. 9. μαλακοσάρκους maximè ingenioſos eſſe ex eo probat, quòd exquiſito ſint tactu præditi adeóque temperatiſſimi; ferè enim inde fit, vt qui ſtupido ſunt tactu, ſint & ſtupido ingenio. Ex quibus vides quàm inconſideratè ingenij & prudentiæ palmā

ſicco temperamento detuleris. Ego contrà Paridis iudicio ſtandum puto, vt ni. malum hoc aureum non diſcordiæ, ſed ſummi Iouis munus diuinum *detur pulchriori*, hoc eſt, ad pondus temperato, & ad amuſſim conformato.

RESVMPTA IIII.

An vt cordis maior neceſsitas quàm cerebri ſic & dignitas?

CVM exploſam iamdudum exilióque damnatam de cordis principatu opinionẽ, in hanc ſcholam veluti iure poſtliminij reuocas, (doctiſſime Mathæe) eximius Peripateticæ doctrinæ μαθητὴς omnibus videris: Metuo tamen ne μάταιος ſeueriorum reprehenſionem incurras, quippe qui Lycæi auctoritatem Ga-

leni demonſtrationibus ipsíque veritati antepoſueris: Ac certè qui hãc Ariſtotelis ſententiam fuſtibus ablegandam putant, neſcio quid tandem de te ſentient. Sed quoniam Tyrannica iſthæc cordis monarchia, abundè à doctiſſimo, qui ante me dixit, Baccalaureo iam iã impugnata eſt: Reſtat vt ego poſitâ trium principũ partium oligarchiâ, cor primum dignitatis locum non obtinere, vt ſtatuis quarto tuæ theſeos corollario, demonſtrem: dum modò ſapientiſſ. Præſes totáque percelebris auditorum corona, facilem mihi præbeat aurem.

Innuitur Laurẽtius:

Quantùm animalis facultas vitalem dignitate antecellit, tantùm, opinor, cerebrum cordi præſtare neceſſum eſt; ſi quidem vniuſcuiuſque partis dignitas, ab eius facultate ac operatione tantũmodò petitur, quæ vt præſtantior eſt, ita quoque maio-

rem partis nobilitatem omnino arguit. Quod vt verissimum sit, inde patet, quòd perfectio & finis conuertantur; partium autem finis actio est: Ideóque & partium perfectio, actio est seu ad actionem referenda. Quæ vt nemo sani sincipitis inficiabitur, sic nec quisquam animalis facultatis operationes (præsertim in homine) dignitate vitales superare in dubium reuocabit. Sed in cerebro ceu in orchestrâ, intelligendi facultas (quamquam χωριστὴ) quasi Dictator perpetuus sedet, cui iuxta collocati apparent sensus, tum interni, tum externi veluti internuncij fidelissimi, & ministri à natura dati: Et quia appetitus rationalis, siue voluntas ibidem ceu ex throno imperat, hinc etiam voluntarij motus origo. Quæ omnia facultatis animalis nomine comprehenduntur. Quod autem illius proprium organum sit cerebrũ,

hinc constat, quòd ipso malè affecto animales quoque omnes operationes, vel saltem harum aliquæ lædantur, vigeántque integro. Aliæ quidem per se & seorsim, vt quæ propriè organicæ dicuntur; aliæ verò numquam per se, sed tamen consequutione quadam, cuiusmodi sunt λογικαὶ, quippe quæ, cùm non sint organicæ, nec per se, nec ratione subiecti, sed tantùm obiecti, lædi possunt: siquidem oportet *intelligentem speculari phantasmata*, ex quorum errore sequitur & mentis aberratio: vnde numquam contingit mentis alienatio, quin priùs phantasia sit in vitio, nec phãtasiæ deprauatio, quin deinde peruersa fiat mentis operatio prima, secunda, tertiaue: sed phantasia primò & per se laborat, mens verò

Lapsus est hac in parte Gal. dũ imaginandi & ratiocinandi facultatẽ per se, & seorsim aliquãdo lædi putat, vt in phrenitico cuius mentionem facit lib. de different. symp. c. 3. sic enim intellectus per se ægrotans facultas foret organica & ἀχωριστὴ, quod est contra Arist. c. 4. l. 3. de anim. & rei veritatem. Neq; enim quemadmodum oculus videre, sic & cerebrum intelligere propriè dicitur, vt perperam existimat idem Gal. cap. postremo lib. 2. de locis affectis, sed anima sola intelligit, si quidem ad intellectionem non vtitur organo corporeo vt medio quo, sed tantùm à quo materia intelligibilis suppeditatur.

tantùm ex accidenti, puta ob errorem externum & obiecti vitium: deficit quippe quemadmodum Sol in eclipsi, non quemadmodum Luna. Quod si ad imaginationis errorem accedat memoriæ lapsus, tum ratio longiùs à se aberrabit, tantò quidem magis, quantò vtráque plus minusue lædetur. Quare cùm potentiarum illarum organum, ex quibus intellectus corpori immersus necessariò sua haurit obiecta, sit cerebrum; meritò illud rationis atque intelligentię sedem, & domiciliũ statuimus. Quod autem inflammato diaphragmate, aut malè affectis hypochõdriis mens etiam deliret, id certè accidit quia cerebrum in consensum trahitur: adeo vt numquam animalis facultas lædatur quin cerebrum, vel per idiopatheiam, vel per sympatheiam laboret. Sed audio te exclamãtem has facultates in cerebro, quidem lucere

tamquam in inſtrumento, à corde verò tamquam à radice promanare. Ne quæſo, nobis iſtud Arabum commentum obtende nimiſquam à veritate alienum. Sic enim par eſſet vt oblæſa radice, læderetur & actio; ſed inſigniter affecto corde animus plerumq; nõ delirat, vt in permultis febribus quotidie cernitur: Rurſúſque obſtructo cerebro ſenſus & motus perit, integro tamen & valente corde. Quod certiſſimum eſt argumentum, has facultates à corde nullatenus proficiſci, ſed tantùm à cerebro, cui idcirco potiſſimùm conſulitur. Enimuero quî fieri poſſet, vt tantam facultatũ actionúmque varietatem vna eadémque pars ſuſtineret? Vnius temperamenti vnica eſt actio, adeo vt quò corpus pluribus actionibus à naturâ deſtinatur, eò etiam pluribus partibus adornetur. Quorſum igitur tantus partium in

homine apparatus, si omnium actiones ab vna pendeant? Certum quidem est omnes ab eadem animâ informari, sed ipsa pro actionum diuersitate, partium quoque distinctionem deposcit, quarum, quæ principes vocantur licet mutuis indigeát auxiliis, nulla tamen agendi facultatem ab alterâ mutuatur, sed à naturâ insitam habet: Sic nec cor vim suam pulsificam, & vitalem iecori acceptá refert aut cerebro, nec cerebrũ vim suam animalem cordi, aut hepati, nec hepar naturalem facultatem cerebro aut cordi, vt cap. 4. l. 2. de placitis docet Galenus. *Sicuti* (ait) *motus diuersi sunt generis pulsatio & voluntarius motus, ita principiorum neutrum, alterius eget opera.* Quibus cumulatè demonstratum puto facultatem animalem à corde ceu fonte nullo modo deriuari, sed à solo cerebro immediatè & formaliter, vt loquuntur,

manare. Hinc monſtrum humano capite natum meritò cenſetur rationis paticeps, adeóque animal ſacro lauacro initiandum: quod ſi contrà cætera habeat hominis, caput verò peregrinum, vt inhumanum eliditur ſuffocatúrque. Quò fit vt hæc pars ampliſſima homini conceſſa illum maximè à brutis etiam perfectioribus diſtinguat, cùm cæteroquin in corde nihil differant: Ita quidem vt omnis quæ notatur diuerſitas inter vniuerſam huius & illorum fabricam, ſit potiſſimùm ratione cerebri, tum quia oſſa omnia proportione reſpondent cranio cerebri gratiâ conſtructo, vt notauit Hipp. tū quia maximo cerebro ceu multorum ſpirituum animalium officinæ, copioſus debetur ſanguis iſque elaboratiſſimus. Vnde partium vaſorúmque ſtructura operoſior naſcitur, & numerus maior, ac proinde diſtincta

totius corporis conformatio. Quæ cùm ita ſint, cerebrum vt loco ſic & dignitate ſuprà cæteras partes, adeóque ſupra cor ipſum eminere certò concludimus. Eſt quippe hæc pars veluti ſacra, reliquarúmque omniũ nobiliſſima, in hominis cælo collocata, cui cor ipſum ſubiacet & pene ancillatur, licet forſan ad vitam magis neceſſarium. Tantum enim abeſt, vt rei cuiuſuis præſtantia ex eius neceſſitate petatur, quin imò vt vnaquęq; eò ignobilior putetur quò vtilior: ſic inter artes eæ liberales, & ingenuæ dicuntur quæ minùs neceſſariæ; contrà ſordidæ quæ maximè vtiles, cuiuſmodi ingenuos homines dedecent. Quare nec ex cordis neceſſitate eiuſdem dignitatẽ rite colligis, nec neceſſitatem ex dignitatẽ. Quod ſi non aliâ nitaris ratione, vereor ne Mineruam habuiſſe iratam, videaris dùm Marti nimiùm fauere

ἐν γὰρ τοῖς τιμιωτέροις τὸ τιμιώτερον καθίδρυκεν ἡ φύσις, ait ipſe Ariſt. 2. de part. animal. vnde 36. ſect. probl. 1. rationẽ reddit cur ſolum caput effingere conſueuerint.

studui-

ſtuduiſti; cor quidẽ animoſos facit, cerebrũ ingenioſos & prudẽtes, Sed *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

RESVMPTA V.

An diſtinguatur in eodem ſubiecto temperamentum viuentis à temperamento mixti?

PRÆCLARE à Cornelio dictum eſt, *ars medica non eſt quæ annos numeret*. Cuius ſententiæ veritatẽ planè vidêris aſſequutus (Perdocte Guerine) qui ætates non tam annorum numero, quàm temperamenti mutatione definiendas eſſe duxiſti. Leguli (inquam) Legulei ætates annorũ decurſu diſtinguũt, quemadmodum Aſtrologi anni tẽpora numero menſium: Phyſiologi menſes aut annos non reſpiciunt, ſed aëris aut corporis temperamenta. Qua in re ita op-

θοδόξως cum ſapientioribus ſentire vidêris, vt quiuis noſtrûm lubens herbam tibi porrigat, & lectis ex topiario tuæ theſeos floribus corollas texat; ſed

O ſocij fugite hinc, latet anguis in herba.

Dum enim Galeno plus ſapere voluiſti, & ad diſtinctum viuentis temperamentum ætates dirigere, tuo te indicio miſerè prodidiſti, tuæque concluſionis veritatem prorſus euertiſti, meone præiudicio an tuo, mox víderis: ſi veniam conceſſerit prudentiſſ. &c.

Quæſtio igitur eſt, an ſit in eodem viuente aliquod vitæ temperamentum diſtinctum à temperamento mixti, vt ſtatuis primo coroll. Equidem in doctrinâ Galeni, tam eſt abſurdum admittere diſtincta duo temperamenta in eodem ſubiecto, quàm in Peripateticâ ſcholâ duas

formas ſubſtantiales in eodem toto, ſi quidem temperamentum idem eſt apud Galenum, quod apud Ariſtotelem forma: ſed vnius per ſe compoſiti naturalis vnica eſt forma, quæ vt dat eſſe ita & vnitatem, docente Ariſtotele lib. 1. phyſic. text. 78. Et ſi forma non fuerit vna, nec erit vnum eſſe, nec vnum compoſitũ per ſe, ſed per accidens, vt idem inculcat Ariſt. 7. metaphyſ. cap. 13. aiens, *è duobus entibus in actu, cuiuſmodi ſunt duæ ſubſtantiales formæ, non niſi plura ſimpliciter fieri.* Quare & vnius mixti vnicum erit temperamentum. Quod ſi apud Galenum temperamentum viuentis, aliquando inſinuetur vt diſtinctum à temperamento mixti, illud tamen non niſi in diuerſis ſubiectis eſt intelligendum, numquam verò in eodem quamdiu vita manet. Neque enim viuentia alio calore viuunt, quàm calore mixti. Vnde (in-

Lib.1.controuers.c.7 quit Valesius) aliud est dicere, viuentia calore viuunt, aliud viuentia calida sunt: Nam viuit res vnaquæque calore suo scil. sibi proprio & naturali, nõ tamen semper excedente. Est viuentium cuique suus caloris gradus ad iustitiam temperatus quo viuit, etiamsi absolutè frigidum sit. Quare viuentia calore quidẽ viuunt, calida tamen non sunt simpliciter, sed ad se demortua, vt docet Gale-
Cap.5.& 1 nus 1. & 2. de temperamentis. Certum est perfectiora animalia actuali quodam & influente calore ad vitam indigere, sed in eo viuentis tempera-mentum collocari non potest, quod infixum omnes esse fatentur, ab ipsis vitæ principiis petitum, nec minus plantarum proprium quàm animalium. Cuiusmodi cur à mixtionis κράσεως distinguatur, non video. Nonne Salamandra viuens spiránsque, ignem non minus extinguit quàm

mortua ?Non, opinor, inficias ibis, cùm id Aristoteles lib.5.de histor.animalium cap. 19. palam asseruerit his verbis, *Salamandra igne minimè comburitur* (saltem ad certũ vsque temporis spatium, vt Galenus explicat tertio de temperamentis) *sed per eum inambulans flammam, & prunas extinguit.* Igitur Salamandra eodem prorsus temperamento, & ignem extinguit, & viuit. Sed dices animali vitâ functo mixti temperamentum remanere, ideóque illud necessariò aliud esse ab eo quo priùs viuebat animal. Repono in vnaquâque viuentium specie, certam & debitam exigi temperamenti rationem, & definitam esse eius latitudinem, extra quam hæc vel illa viuentis forma nequit consistere. Vnde dico mortuo animali, licet mixti temperamentũ, non sit dissolutum, esse tamen mutatum, neque omnino idem remanere.

Excusatione tamen dignus videreris, si illum tuum viuentis calorem cælestem admitteres, & à mixti fæce segregares. Sed quî fieri potest, vt cùm homogeneus apud te sit viuentis, & mixti calor, nihilominus inter se distinguãtur? cúmque vtriusque idem sit subiectum, quo modo diuersi censeri possunt? At fortasse dices, etiamsi specie & subiecto conueniant, differre tamen effectis. Quasi verò calor ille tuus viuificus, qui omnia fouet, non etiam omnia discutiat: Ille idẽ qui nos generat, nos interimit: quin etiam à temperie recedens fit vstulator, & in propria viscera accensus, ne dicam armatus, sæuit: vnde quotidie mortalium vita ad interitum præcipitatur. Viden' vt ex orbitâ in orbitam relabaris, & perperam ista duo temperamẽta in viuentibus distinxeris, quæ re ipsâ vnum idémque sunt, cuius mutatione hominis ætas

per varios gradus conuertitur, & vitale pensum ad extremum vsque finem deducitur.

Huic ego succedens primam Thesim quodlibetariam proposui, Reuerendissimo Turonensium Archiepiscopo nuncupatam, totam physiologicam & physiognomonicã, in quâ quærebatur an μαλακόσαρκοι ingeniosi? Aduersus quam Lectissimi Baccalaurei commilitones mei difficultates pariter mouerunt, non minùs eleganti quàm subtili oratione, & doctores grauissimi vrgentibus argumentis disputarunt.

Illustris. Reuerendis. Domino,

DOM. BERTRANDO DE ECHAVS,

Archiepiscopo Turonensi, primo Regis Christianissimi Eleemosynario, Sanctioris interiorísq; consessus Consiliario, vtriusque Ordinis Commendatori, &c. Has suorum in Medicinâ studiorum primitias vouebat

VICTOR PALLV.



VOD hoc leuidensæ munusculo in insulam tuam pecco (Antistes Reuerendissime) *tua humanitas culpam omnem amouet, quâ ita facilis apud te aditus patet, vt nemo sit, cui non, si tenuis est, nutum tuum; si magnus, applausum promittat. Incredibili illâ tuâ humanitate iam-*

dudum maiorem natu mihi coniunctissimum fratrem in familiaritatem tuam recepisti, ac subinde tantis cumulasti beneficijs, vt eorum magnitudo in me redundarit. Equidem sensi quanta esset animi tui in eum propensio, cuius solâ commendatione, priùs ego tuis beneficiis ornatus sum, quàm tu meis officiis prouocatus. Vt deinde mihi datum est dexteram tuam osculo contingere, ea me comitas excepit, quâ dignitatis tuæ splendorem humilioribus soles obumbrare, & quam ita in omnes diuidis, vt omnium sit singularis. Iam igitur totum id quod audeo, tuæ humanitati; quod offero, tuis beneficiis, debeo. Neque verò parum me ad literarum studia excitauit is locus, qui apud te Musis tribuitur, quas non sinis in alio sacrario cultiores esse quàm in tuo: Mœstas vidi nuper ac lugentes in extremo capitis tui sibi charissimi periculo opem sollicitasse sui Apollinis, cuius tandem præsens numen ita sensisti, vt etiam tuis successoribus

successeris. Ex quo ego eam artem eò impensiùs colui, cuius tu tantum beneficium esses expertus, communibus totius Cleri tuorúmque Turonensium votis pristinæ sanitati restitutus: Hanc qui verè reddidit, diu seruet integram Deus Opt. Max. & beatam senectutem addat sanctissimæ vitæ in præmetium æternæ. Interim (Antistes Reuerendissime) *faue his primis studiorum meorum experimentis, quæ quantulacumque sunt, futuráque erunt, tota tibi consecro, &, quando verba non suppetunt, syncerâ mentis deuotione offero, cùm hac humili prece ac obsecratione supplici, ne fastidias me fraterni obsequij & obseruantiæ socium inter cultores admittere; inuenies religiosum, si te exorari permiseris.*

Vale diu incolumísque viue tibi, nobis, & vniuersæ Ecclesiæ.

QVÆSTIO MEDICA quodlibetariis disputationibus manè agitata in Scholis Medicorum, die Iouis 4. Ianuarij.

M. PETRO GENAVLT, Doctore Medico Moderatore.

An μελαγχόλικοι ingeniosi?

I.

HOMO supra cætera vegetabilia & animalia habet quod cælo imputet. Huius & illorũ ortus longè dispar ratio est. Ab illis vnà cum semine traduces animæ sua sibiipsis domicilia præparant & architectantur. At huius seminalem tantùm materiam, à toto deciduam, vterque generans subministrat, quam deinde vis conformatrix, vegetantis formæ vices

gerens, ita fingit & adornat, vt ipsa ὁλομελὴς, circa septimum à conceptu diem, nudam & tabulæ rasæ persimilem, cœlitùs infusam, recens creatã, animam excipiat. Ne cogites hanc in solo corde aut cerebro suam fixisse sedem. Tota vbique est suis armata facultatibus, etiamnùm in minimis quas informat particulis, quibus ita insinuatur, corporíque adunatur, vt datatim ambo suos sibi communicent affectus, adeóque alterutro laborante vtrumq; doleat, ac vicissim alterum alterius integritate vigeat, *alterius sic altera poscit opem pars, & coniurat amicè.* Hinc mens sana in corpore sano. Nec aliunde animorũ varietas repetenda, quàm ex multiplici corporum χαρακτηρισμῶ atque temperatura. Anima perfectius organum nacta expeditiùs operatur: & raram facit misturam cum sapientiâ forma.* Vnde Physiognomonia in-

*Ex signis externis naturæ re-

terna ex externis non frustrà rimatur, quæ ex membrorum facie, totiúsque corporis filo & habitu, cùm naturales animæ dotes, tùm insitas propensiones colligit.

II.

ANimæ cognoscentis facultas duplex, rationalis & sensitiua: hæc ἄλογος, ἀχωριστὴ, ὀργανικὴ, circa singulare obiectum occupatur: illa λογικὴ, χωριστὴ, nullius corporei instrumenti consortio circa commune, & τὸ καθ' ὅλου negotiatur: * hac tamen consequutione vt otietur sine φαντασμάτων famulitio: ῥίζα γὰρ αὐτῶν ἐστι καὶ οἷον πηγὴ πάντων ἡ αἴσθησις. Horũ facilis apprehensio, compositio, diuisio, ingenium dicitur quasi ingenitũ quidpiam & τὸ ἔμφυτον, vnde & εὐφυεῖς ingeniosi audiunt. Apprehensioni succedit iudicium. Hinc fit vt vis omnis & energia intellectus, licet immaterialis, à dexteritate ipsius potentiæ

rũ cognoscuntur per syllogismũ Physiognomicum quo omnẽ medendi rationẽ inniti declarat doctiss. Alberius in l. postremũ prior. analytic & lib. de concordia medic. c. 1. vbi optat vt docti quiq; physiologi suas συζητήσεις conferant, vt hæc præstantissima doctrina augeatur perficiatúrque.

* Intellectus pẽdet à sensu, si non quoad vsum saltẽ quoad acquisitionẽ specierum.

materialis, maximè pendeat, adeóq; temperamenti rationem tamquam causam materialem & disponentem sequatur. Sed ex quolibet ligno non fit Mercurius, nec ex quouis temperamento ingenij fœlicitas elucescit. Sunt penè infinitæ temperamentorũ differentiæ, quorum medium perfectissimum est animæ instrumentum, ac veluti centrum in circulo: neque tamen puncti vicem obtinet, sed multam diametri partem sibi vendicat. In hoc centro viget calor ad inuentionem, durátque ad perpensionem & retentionem. Heîc fiunt diuinæ illæ mentis agitationes & ἐκπλήξεις: heîc, inquam, ingenia facili nouarum rerum comprehensione fiunt δαιμονιώτερα.

III.

MΑλακόσαρκοι tẽperatissimi sũt, & cæteris sensoriâ facultate anteferendi: sensus quinque externi

ad elementa quatuor reuocantur: olfactus, homini quàm cæteris animalibus debilior, odoris ſimilitudine igneus: auditus aëreus: viſus, ſolâ ſpecierũ admiſſione editus, aqueus: tactus & guſtus, terrei: τὸ γὰρ γευστικὸν εἶδός τι ἁφῆς ἐστι: Vterque neceſſitatis & temperamenti ſenſus; ſed tactus maximè ex æquali omnium qualitatum miſcella perfectus; cuius τὸ αἰσθητήριον Ariſtoteli internum; Galeno meliùs, externum; Cutis quippe ex primorum contrariorum mixtione temperata, tactilium differentias exactè diſcernẽs. Eius naturalis mollities, inter duritiem & laxitatem media atque cum raritate coniuncta, vt exquiſiti temperamenti effectus eſt, ſic & index; præſertim in vola manus, vni homini propter prudentiam conceſſæ. Quod animæ ratio, hoc corpori eſt manus, cuius munus duplex, tangere & apprehendere:

mollities ad tactum & ingenij præstantiam eximiè confert: durities ad apprehensionem & corporis robur. Vt ex vngue leonem, sic ex manu hominem, ne vanam hac in parte χειρομαντείαν suggilles. Nerui duriores motui, molliores sensui, subseruiunt. Hinc ἐν μαλάκῳ sanum; alioquin σκληρόσαρκοι & παχύδερμοι agrestes ac stupidi homines indigitati. Eò sanè quisque prudentior est quò tactu præcellit, adeóque homo animalium prudentissimus, hoc sensu cæteris præstat.

IIII.

NEquicquam Chaldæi sua nobis ingerunt ἀποτελέσματα; non à cælo Mercuriales viri, sed à temperamento. Et quisquis concinnâ partium omnium structurâ optimâque temperie, se totum studiis addixerit, is sibi & Mercurius & Saturnus. Neque verò florescit animus cùm de-

florescit

florescit corpus: præferũtur τῶν μέσων βυλαὶ: Adulterina plerũque est senilis prudẽtia, quæ omnia cauet, quia omnia timet. Non melãcholicus humor ingeniosos facit, sed ingeniũ melancholicos: ille per se mentis actionibus officit, crassitie suâ spiritus infuscat, animum terrore complet, ingeniúmque hebetat. Quod si tenuior factus, subtiliori pituitâ madescat, nec non bili & sanguini permistus, ita saturetur, vt corpus vnum ex hac miscella confici videatur, in quo potiores quidem partes sanguinis sint, secundæ flauæ, tertiæ nigræ bilis pituitâ perfusæ; iam non melancholicus humor lucebit, sed temperata illa congeries, ex quâ purissimi tenuissimíque efferuntur spiritus, & admirabiles in animo motus excitantur. Omnem intemperiem superat pituita mentis actionibus prorsus inepta: illa supinũ facit animum; corpus pi-

grum, laxum, & obeſum. Anima pingui aqualiculo merſa fere eſt pro ſale.

V.

AD ingeniorum diuerſitatem nó parùm conferunt progenitores, alimenta, & natale ſolum. *Qui viret in folijs venit ab radicibus humor: Sic patrum in natos abeunt cum ſemine morbi, mores*; quos ſubinde inſitiuo & alieno nutricum lacte, conſequentiſque diætæ vitio, non raró contingit degenerare. Qui temperatæ ſubiiciuntur plagæ vt 5. & 6. climati, fortiores ſimul ſunt ac mitiores, & ad diſciplinas capeſſendas aptiores: Iis heroïca ingenia, totiúſque naturæ capacia: iiſdem imperia delata fuere, quæ extremis gentibus numquá. Hinc Roma terrarum domina conſiliis, Barbarorum refringit vires, & forti manu Meridionalium cogitationes. Hinc Athenæ Muſarum de-

liciæ tot Solones dederunt, Scythia vnum Anacharſim. Aſiatici, gentis vitio, molles & effœminati, alioquin prudentes & acuti: Septentrionales duri, agreſtes, inconſulti, præcipites: Meridionales timidi, cauti, animo nõ minùs implicito, quàm capillitio. *Quiſque ſuos patimur maneis.* Fœliciter ille natus arguitur, cui, emendatiore corporis formâ, viuidus effloreſcit color, cum pilorum tenuitate ad nigros accedentium, vnguium pelluciditate, carnis denique mollitudine, quæ præterquàm quod ſit exquiſitiſſimi tactus, adeóq; integerrimi temperamenti τεκμήριον, eò ingeniũ iuuat vel maximè, quia diſpergit ſoluitque redundantia retriméta, quibus pulſis ſpiritus ſubtiliores manent, túmque maiori alacritate ad potentiarum obſequium accurrunt, vnde phantaſmata puriora & defæcatiora con-

tingunt, celerioréſque mentis agitationes.

Ergo μελαγχολικοὶ ingenioſi.

Proponebat Lutetiæ VIC. PALLV Turonenſis. A.R.S. M.DC.XXIX.

RESVMPTA VI.

An pili viuant?

QVâ nuper conſuetudinis neceſſitate ſententiam noſtram impugnaſti (doctiſſime Reginalde) eâdem nunc cogor in tuam inſurgere, hac tamen lege vt mihi quoque licere velim eâdem exceptione vti, tibíque tuas voces reddere, me nimirùm parendi potiùs obſequio quàm contradicendi ſtudio in hanc velitarem pugnam deſcendere, neque tam vt à te diſſidere, quàm vt tecum ſcho-

læ decretis ſtare & obtemperare videar; quibus profectò tantùm non vniuſcuiuſque ingenium & induſtria acuitur, atque ad maiora ſemper excitatur, ſed etiam amicitia liberali æmulatione contrahitur, & iucundo ad veritatem diſſenſu conciliatur. Sic ſane alter alterum doctis dictis & obiectis exercet, vt in hac veriùs quàm Veneris palæſtrâ amicorũ dimicatio amoris ſit redintegratio. Enimuerò dum ad me redeo iniquã rerum ſortem damno, quæ me viribus imparem cogit cum fortiſſimo Athletâ manus conſerere, ac veluti Glaucum cum Diomede congredi. Vtinam geminâ virtute paríque ingenio tecum eſſem compoſitus, neque me tacita imbecillitatis conſcientia à certamine pigriorem vltrò retraheret. Tu tamen, ne victoriæ tuæ adorea hac in parte vileſcat, patere me tibi tantiſper obluctari:

modò cœptis annuerit tuus,

Auspicijs cuius pugnas & vincis, Apollo:

nec renuerint cæteri clarissimi Asclepiadarum proceres.

Eam igitur tuæ theseos partem impugnabo qua inficiaris pilos viuere, & inter corporis partes annumerandos. Nolo hîc discutere an communi vitâ viuant pili, sed id tantùm contendam quod negas, ni. pilos actione vitali produci, atque verâ & propriâ nutritione augeri. Primò quòd generationem attinet, Galenus tum 2. de temper. tũ lib. 11. de vsu part. in nobis pilorum duo genera statuit, quorum alij naturæ prouidentiâ, & artificio conditi omnibus connascuntur; alij loci & materiæ occasione indiscriminatim posterigeni oriuntur; hos sponte nascentibus herbis, illos consitis & ordinariis stirpibus comparat, quippe qui pul-

Item Arist. l. 3. de hist. anim. c. 11.

cherrimo ordine diſpoſiti ſatis oſtẽdunt artificis naturæ induſtriam. Quibus verbis perſpicuè docet vim formatricem horũ generationi præeſſe, nec aliunde tam certum eorum ordinem, & pene numerum eſſe repetendum. Quis enim temerè congenitos putet ciliorum pilos, & ſurgentes in ſubgrundia ſuperciliares? Quis capitis comam ſummo illius vertice in gyrum ſeſe vertentem, ac ſubinde in λύσωμα καὶ χαίτην diuiſam, quaſi pileolum quouis corymbio præferendum effingentem? Quin etiam cùm pili pro diuersâ phantaſiæ impreſſione, variè afficiantur, certò colligitur ipſos à vi formatrice fingi & diſcriminari, quæ ſola eiuſmodi effectus efficaciter producit licet ab imaginatione excitata. Quod cùm ita ſit, quis negabit pilos actione vitali produci, ſiquidem, te id etiam vltrò fatente, virtus conformatrix

merè sit vitalis. Quoad verò nutritioné & incrementũ, idẽ Galenus eos plantis perpetuò comparat & cutem terræ, Aristotelẽ hac in parte sequutus qui 5. de generat. animalium c.3. ait eandem esse pilorum, pennarum, squammarũ & frondium rationem, ita vt caluescens senectus defrondescenti hyemi respondeat. Ac ne per quandam tantùm analogiam isthæc comparatio instituta videatur, aduertere est eos non aliter quàm plantas alimentum suis veluti radicibus à subiectâ cute attrahere, adeò vt nõ per expulsionem materiæ in longitudinẽ duntaxat excrescant, sed per intimam alimenti susceptionem secundum omnem dimensionem extendantur. Quod quidem sensu ipso facilè deprehenditur, pueris enim tenuiores sunt pili qui adolescentibus crassiores euadunt, deinde etiam senescentibus canescunt non tantùm

à radice, ſed interdum à ſummo fine, vel ſaltem ſecundum omnes ipſorũ partes, vt notat Ariſtoteles lib. 3. de hiſt. animal. cap. 11. Quod primùm eſt atque certiſſimum vitę argumentum. Alterum eſt quod in iis præfinitus ſit accretionis terminus, vt mulierculæ experiuntur quibus non demetuntur comæ, vt etiam in omniũ ciliis & ſuperciliis cernitur: Nec aliter abraſi ſuccreſcunt pili, quàm exciſa vel exhauſta caro renaſcitur, & attriti dentes ſuũ magnitudinis terminum perpetuò repetunt. Neque obſtat quòd excrementis alantur, ſi quidem vnius partis excrementum in alterius alimentum non raro cedit; prætereà etiam probabile ſit pilos communi vitâ non frui, ſed propriâ & ſeparatâ, adeóque eſſe veluti viſcum in quercu; vnde fit vt mortuo animali plerumque quaſi poſthumi oriantur & creſcant: quam-

quam tamen aliam huius rei causam affert Aphrodisæus in probl.ni.quòd subiecta caro marcore subsidens eos videatur promittere. Porro tuis te laqueis videris irretire dum asseris minimè siccissimos esse pilos, nõ aliâ de causâ, quàm quòd humidũ oleosum & aëreum contineant, cuius occasione flammam facilè concipiant: si quidem idipsum solis viuentibus maximè competit, vt docet Arist. 4. meteor. Nec obiicias iis deesse corpus organicum; Nam organicũ id non tantùm dicitur, quod dissimilibus cõstat partibus, sed etiam quod aptam & conuenientem figuram habet ad opus exercendum, aut vsum præstandum ad quem à natura destinatur; cuiusmodi in pilis cernitur: hi enim suas habent radices, suas cauitates, suam rectitudinem, suum situm, & plerique suum numerum, prout in varios vsus à natura profe-

Lib. 1. qu. 845.

runtur: vt ornatum taceam & dignitatem quondam libertatis indicem. Hinc ſcitè auctor ſatyrici ludens in abraſum, ait,

Vt mortem citiùs venire credas,
Scito iam capitis perîſſe partem.

Sed quid pluribus? Cùm ſuos etiam morbos patiantur pili. Graſſatur in Poloniâ & Hungariâ morbus quidã capillaris vulgò Plica dictus, quo capillorum cirri anguium inſtar ita implicãtur vt gorgoneum caput auguibus comatum non ſine horrore exhibeant. In hoc atrociſſimo morbo transfixi acu capilli ſanguinem emittunt, abraſi grauiſſima excitant ſymptomata, vt refert eruditiſſimus medicus, qui de eo ſcripſit Hercules Saxonia. Quibus omnibus perſuaſus lubens acquieſcerem, & pilos ſaltem cõgenitos viuere concluderẽ, niſi me grauiſſimarũ, quas à te cuncti expectãt, reſponſionũ momẽta reuocarẽt.

RESVMPTA VII.

An Aurimontius agyrta transmarinus? &c.

NON sine sapientissimi præsidis consilio factum est, vt tu (Perdocte Mentelle) fatum & fortunam à medicinâ adeóque à rebus mortaliũ excludens, imperitos medicos & irrationales sub eadẽ causa obruas: Neque enim fortuna potuit de suo gradu deiici, quin eius clientes eâdem ruinâ traherentur. Interrogatus quondam Chilo quid esset fortuna? apposite respondit eam esse ignarum medicum. Et certè Aristoteles 2. physicæ ἀκροάσεως, postquam docuit fortunã de iis tantùm dici quorum propria est εὐτυχία καὶ δυστυχία, ait, vbi plurimum est mentis & rationis,

ibi minimum esse fortunæ; vbi verò plurimum fortunæ, ibi minimum esse mentis & rationis. Ex quibus sequitur ἄλογον medicũ tãtò magis esse fortunatũ. Qualem nobis Aurimontium Mimo-medicum traducis, vel ipso nomine beatum. Ignarum tamen populus diffitetur hoc præsertim argumento, quod multas sententias græcas & latinas in theatro crepet, quódque magna verborum volubilitate, mirabiles suæ pomatæ vires & vsus cõmendet; adeo vt, quod præcipuum est oratoris munus, suos auditores maximè persuadeat. Nihilominus tu quasi huius fortunæ inuideres, ipsum indignanti stylo perfodis, agyrtam transmarinũ & præstigiatorem theatralem exclamas, ei deniq; Persicum Manetis impij supplicium deberi decernis; quem tamẽ Parisiensium vulgus, nõ omnino stolidum, admiratur & colit velut Ερμῆν

* Deũ nouit quisquis Laertium legit in vitâ D. P.

τετράγωνον * ad pontem nouum collocatum; quem (inquam) non barbâ & pallio tenus philosophum, non medicum parabolanum, sed disertissimum & expertissimum vel suo periculo recipit. Cuius ego partes etiamsi nec rogatus, nec aduocatus nunc sustinebo, ne indictâ causâ dãnatus ille, iniquam iudicij vestri seueritatem accuset: modò veniá dicenti concesserit sapientissimus, qui pro tribunali sedet præses, nec non frequentissimus clariss. medic. senatus.

Quamquam fama vix fauet veritati, populique applausus raro meritis respondet; hoc tamen Aurimontius virtute suâ obtinuit, vt pluribus placeat & probetur; quippe qui pari industriâ risum moueat & stomachum. Namque præter ingenium plausibile, & ludicras artes quibus nulli cedit, ita maleficam emeticorum vim temperat, & arcanâ me-

dicamentorum misturâ palatum fallit, vt nemini hactenus, quod raræ est fælicitatis, siue fabulam dederit, siue medicinam pararit, fastidium attulisse comperiatur. Dic sodes aliquemne videris, aut audieris qui se illius culpâ è viuis ereptum reclamarit? Nec dubium quin hominum fata alter ille è cælo delapsus Æsculapius retardaret, si non implacabilis Atropos iã olim Diaulo medico inuidens, eadem præuerteret. Quidni igitur illi gratulor qui humano generi gratissimus est? Sed quoniam imposita criminatio magis vrget, præstat eam repellere, & amoliri quę tu aduersum petulanter obiicis. Eum nimirùm esse agyrtam transmarinũ, circulatorem circumforaneum, denique præstigiatorem theatralem & lucripetam. Nihil de agyrtâ dico, sed transmarinum esse nego: Cisalpinus est vel potiùs habitâ ratione

harum regionum Trãſalpinus ἁπλός, vt ſatis conuincũt tum hominis mores, tum vernacula lingua quæ non parùm artificis induſtriam ſolertiãque commendat. Sed eſto, ſi vis, excurſor Aſiaticus; omne ſolum forti patria. Diſcutiamus potiùs num circulator ſit circumforaneus eóq; nomine proſcribendus. Certum eſt Aurimontium varias regiones peragraſſe vrbéſque luſtraſſe, vt velut alter Hercules terram monſtris purgaret verus ille (ſi nominis emphaſim ſpectes) & Romanus* Apollo. Neque verò id ei improperari poteſt, quod popularis ſit & encyclios ſermones conferat, cùm ipſi Hipp. & Gal. quorum curſus imitari ſibi propoſuit, vt publicè profeſſus eſt, non minus fuerint populares. At (inquies) huius & illorum longè diuerſa eſt ratio, illi enim vt plures iuuarent & ſeruarent, hic vt pecuniâ emungat: illi homines ho-

*Cuius cognomen aliquando meruit Octauius Aug. apud Suet.

nes hominibus Dij, quibus *potior fuit sapientia quàm auri massa* : hic verò profanus scurra, & circulator prædæ inhians, eam imponit hamis escam quam sciat appetituros pisciculos: Illi deniq; omnia ratione metiebãtur; hic contrà nihil nisi temeritate agit, & empirico supercilio montes aureos pollicetur, vnde factum vt sibi Thrasonicum montis aurei nomen indiderit. Sed quæso, manum de tabulâ, ne plura obiicias quàm tempus patiatur. Quod Plinius de Asclepiade, ego certè de Aurimontio lubens fatebor, illum ni. medicinam potiùs sibi, quàm se medicinæ accommodasse. Cæterùm vt ad postremum tuę accusationis caput transeamus. Negare non possum Aurimõtium theatralem fuisse, & histrionis partes sustinuisse: sed præterquàm quòd *ad multa cogit egestas, nec non res angusta domi* : an non totus mundus histrioniam agit? hoc tantùm interest

Ex Hipp. epist. ad Demetrium.

quòd grex agit in scenâ mimú, cæteri mortalium vbique. Quasi verò multùm intersit, si quis in theatro fallat an in tabernâ. Lusit in theatro Aurimõtius vt cæteros luderet. Nec propterea præstigiator est insimulãdus: nihil enim insolitũ præstat, quod naturæ modum aut hominum fidem excedat. Ingenij largitor optimus vẽter, vel psitacos docet *verba nostra conari*. Nullâ dæmonum ope, sed leui pixide plebi etiãnum imponit. Quid tum? Argentinam humanis ambit artibus. Plutum non pacto, sed fatali necessitate sibi demeretur. Plato tantus Philosophus eum laudat medicum, qui si nõ citò sanat, citò interficit; & artem illam accusat quæ vitam cũ lãguore protrahit: fœlicitas quippe est aliqua in ipsâ calamitate citissimè perire. Satis humanus est medicus, qui αἱματόφοβος cardiaca sola fere propinat, aut certè generosa emetica: Tu si vtraque damnas, vide ne in

3. de Rep.

te legem ſancias iniquam. Itaque deſine conuiciari; populo non minùs quàm cõſuetudini aliquid dandum. Sint ſane dogmatici medici Iſothei & fælices, at Aurimontius fortunatus, vel hac parte Hippocraticus, quòd pileatus Hippocrates, pileatus & Tabarinomontius.

RESVMPTA VIII.

An pueri ſudent facillimè, ſenes difficillimè?

IMpetratâ veniâ prudentiſſimi huius actus moderatoris, &c. In eam tertij tui corollarij partem inſurgam (Erudite Pratæe) quâ aſſeris pueros ſudore diffluere facilè, ſenes difficilè. Cuius propoſitionis veritatem ex eo deducis, quò pueris pori magis pateant ſintque rariores, ſenibus con-

trà densiores magisq; occlusi. Quod an ita sit lubet expendere. Ex tua thesi duo ad sudores omnino necessaria colligo, ni. seri copiam tamquã causam materialem, & cutis raritatem tamquam causam adiuuantem & conditionem sine qua vix sudor erumpit. Quorum vtrumque si in senibus præpollere magis quàm in pueris confecero, omnia aduersus te consequutum me puto. Ac primò quòd spectat seri copiam, certum est tum plurimum abundare, cùm debilissimus est calor natiuus, si quidem serum nihil aliud est ex Galeno quã humorum excrementum crudum: Hinc in sero adeóque in sudore, & vrinâ salsedo ac plerumq; fœtor nascitur, vt docet Arist. probl. 13. sect. 4. vbi quærens, *quare cùm primùm concumbunt corpora malè olent? Quia* (inquit) *vbi semen secessit magna ex parte resoluimur & refrigeramur, quo pacto*

humores inconcoctiores redduntur, patefactis meatibus propter ſeminis excurſum; quò fit vt ſudor ob cruditatem & ſalſior & fœtidior exiſtat: additque id patêre in omnibus tam terræ ſtirpibus quàm animantibus, detractis enim iis quæ matura coctáque ſunt, cætera cruda relinquuntur & amara: quâ etiam de causâ ſudor ſalſus, & plerumque amarus à ſudantibus deguſtatur. Idem inculcat probl. 4. ſect. 13. Cui ſubſcripſit Theophraſtus cap. 11. lib. 6. de cauſis plantarum & libello de ſudoribus. Ipſe præterea Galenus de cauſis ſympt. docet, vt omnis cruditas contingat, non tam ratione materiæ ad coctionem ineptæ, quàm caloris imbecillitate. Igitur cùm ſenes fatali caloris paupertate & penuriâ laborent, par eſt ipſos multam ſeroſi humoris & excrementitij copiam coaceruare, vt pluribus exponit Gal. 5. de ſanitate tuenda.

Porro illius extra corpus eliminandi duæ tantùm cõsuetæ sunt viæ, ni. per vreteres & vesicam in vrinas; & per corporis habitum in sudores, qui cur in senibus erumpãt ægriùs, quàm in pueris, non facit corporis densitas, quippe quæ in his maior est quàm in illis; quod secundo loco mihi probandum incũbit. Puerorum corpora densiora arguunt tum glabrities & læuitas, tùm laxitas, quæ ita à raritate distinguitur, vt cum densitate perpetuò sit coniuncta; vnde pueros mulieribus hac in parte similes scripsit Aristoteles, quarum cutis tantò densior est quantò laxior, cuiusmodi sensibili excrementorum euacuationi adeóque sudori minùs patet. Requiritur enim pororum & foraminũ rectitudo ad faciliorem humoris exitum: at primæuis annis humidior cutis, non nisi temporis progressu fistulatur, vt demõstrat Gal. de con-

ſtitut. artis. Contrà verò ſenum corpora perſpirabilia ſunt & cribroſa, vnde fit vt in iis excrementa facilè ad corporis ſuperficiem ferantur, atteſtante Ariſt. probl. 4. ſect. 10. quærens cur ſenes vitiligine magis infeſtentur quàm pueri? cuius rei rationem reddit quia ſenum corpora perſpirabilia ſunt & excrementis peruia, vbi ipſa comparat ruinoſis ædibus quæ rimis dehiſcunt, τὰ δὲ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τὰ τῶν γεραιῶν σώματα εὔπνοα· μόνα γὰρ ὥσπερ τὰ παλαιὰ οἰκοδομήματα, διεστῶσαν ἔχει τὴν σύνθεσιν τῶν μορίων. Ob eandem cauſam Theophraſt. libello laudato, ait ſenum ſudores minùs eſſe graueolentes. Ex quibus manifeſtè conſequitur ſenes facillimè ſudare cùm & ſeroſo humore abundent, & laxo ſint corporis habitu: minùs verò pueros, quibus proinde profuſior eſt vrina, nec non prona & præceps omninóque quàm reliquorum hu-

midior aluus, ex Theophraſt. ibid. At ſenibus vt plurimùm adſtricta benignis medicamentis & eccoproticis ſæpiùs eſt ſoluenda, & vrinæ ciendæ, vt docet Gal. 5. de ſanit. tuenda. Quod ſi tamen pueros ætate prouectiores intelligas, certum quidem eſt eos liberrimè ſudare; ſed neque tum cauſa in ſeri copiam, aut cutis raritatem eſt reiicienda, imò potiùs in vim caloris natiui, leuiſſimâ de causâ internâ vel externâ, humores fundentis ſudoréſque elicientis.

RESVMPTA IX.

An qui animam rationalem tertio die infundi aſſerit, piaculum admittat?

VVlgatum eſt & πολυθρύλητον illud Stoicorum decretum, peccata omnia eſſe paria. Quæ ſententia

etsi magnificè primò dici videtur, considerata tamen minùs probatur: *Sensus enim cuiusque, & natura rerum, atque ipsa veritas, clamat quodam modo non posse se adduci, vt inter eas res, quas Zeno exæquaret, nihil interesset*, inquit Tullius lib. 4. de finibus. Eandem suo more exagitat Venusinus satyrographus lib. 1. satyr. 3.

Nec vincet ratio hoc, tantumdem vt peccet idémque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus diuûm sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scuticâ dignum, horribili sectere flagello.

Nihilominus tu (Perdocte Lãgloys) quasi in Zenonis verba iurasses, durum hoc & adamantinum Stoicorũ dogma videris reuocasse, dum scri-

bis, eum, qui animam tertio die increari asseruerit, piaculum admittere. Grande nefas scelúsque vix expiandum! nihil minus quàm si Mineruæ templum incendisset, aut Æsculapij barbã sacrilegâ manu compilasset. Ego contrà eius opinionis auctorem * dignum censeo, qui cum principibus viris & sapientibus in Prytaneo alatur. Quid enim sapientius dici potest, quàm animam sui domicilij esse architectatricem? Sed priusquam falcem in tantam messem iniicio, sapientissimum huius actus moderatorem scholæ Censorem rigidissimum, totúmque ornatiss. consessum, mihi propitium oro & obsecro.

* Intelligitur Fienus erudito libro in hãc sententiam conscripto de formatrice fætus.

Non me latet quàm diuersus sit, & dubius auctorum calculus de tempore quo anima rationalis in corpus infunditur. D. Augustinus in Enchirĩdio ad Laurentium fatetur idipsum

vix ſciri poſſe. Verba eius hæc ſunt, *Ac per hoc quidem ſcrupuloſißimè inter doctißimos quæri & diſputari poteſt, quod vtrùm ab homine inueniri poßit, ignoro; quando incipiat homo in vtero viuere: vtrum ſit quædam vita & occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat.* Vbi tandem ſub dubio relinquitur vtrùm informes fœtus ſint reſurrecturi. Sic & D. Hieronymus lib. 2. Apolog. aduerſus Ruffinum ambigit, num anima rationalis à Deo producatur ante ſuſceptam corpois formationem, nihílque de tanta quæſtione decernit vt valde incertâ & ancipiti; de qua proinde liberum eſt vnicuique philoſophari citra piaculum. Nec obſtat ſacrorum Bibliorũ auctoritas Exodi 21. ad quã doctiſſimè reſpondet Fienus; præterquam quòd illic græcus ſeptuaginta Interpretum textus, nec latino qui ab Eccleſiâ receptus eſt, nec tranſlationi

ex hebraico à Sancte Pagnino factę, respondeat. Quòd si à sacris ad profana nos conuertamus, & diligentissimos naturæ interpretes consulamus, nihil quicquam certius de ea re statuerunt Hippocrates, Galenus, & Aristoteles qui 2. de generat. animal. cap. 3. id obscurissimum esse plane agnoscit, διὸ καὶ περὶ νοῦ, inquit, πότε καὶ πῶς μεταλαμβάνει, καὶ πόθεν, τὰ μετέχοντα ταύτης τῆς ἀρχῆς. ἔχει δ' ἀπορίαν πλείστην, καὶ δεῖ προθυμεῖσθαι κατὰ δύναμιν λαβεῖν, καὶ καθ' ὅσον ἐνδέχεται. Galenus lib. de format. fœtus nondum sibi constare inquit, an mundi anima per seipsam corpora viuentia architectetur; & licet dignam censeat cui id muneris demandandum sit, tamen satius esse statuit in tam arduâ & ancipiti quæstione nihil asseuerare, etsi ratum esse iubeat vim formatricem, quæcumque ea sit, summam esse sapientiam. Ferdinandus Mena cōment. in c.14.

libri Hipp. de ſeptimeſtri partu, ex eodem infert animam ſeptimo die infundi, cui & conſentire videntur verba libri περὶ ἀρχῶν vel σαρκῶν. Porrò *vita hominis ſeptem dierum eſt: Primùm enim poſtquam genitura in locos peruenit, in ſeptem diebus habet quæcumque habere debet.* Alij negant ex hiſtoriâ Pſaltriæ lib. de natura pueri, id ſenſiſſe Hippocratem. Mitto Arabum figmenta & Auicennæ Colchoden formarum formationíſque effectricem. Vt hinc intelligas nullius nos auctoritate moueri debere, in tanto támque dubio phyſiologorum diſſenſu. Quare ſemotis teſtibus rem breuiter diſcutiamus, & ad ſolum rationis gnomonē examinemus. Cùm ex tuâ concluſione ſemen ſit ἄψυχον, nec admittas in hominis conceptu animarum ſucceſſionem; neceſſum eſt conformationem perfici, vel ab ipſamet animâ rationali ſtatim intro-

ductâ, vel à virtute aliquâ ſeminis actiuâ (vt aſſeris) quæ abſentis generantis vicem gerat: Sed hoc fieri non poteſt: Ergo neceſſariò prius eſt admittendum. Nam quòd fictitia ſit eiuſmodi falcultas generantis vicaria, ex eo demonſtratur; quia ſi in ſemine eſſet aliqua virtus actiua conformationis effectrix, vel illa eſſet potentia vitalis, vel phyſica: Sed non poteſt eſſe potentia vitalis ſeu animę actu exiſtentis in ſemine, alioquin, contrà quàm ſentis, ſemen eſſet animatum: Non etiam animæ abſentis ſeu generantium cùm potentiæ ſint ab animâ indiuiduæ, nec poſſint migrare de ſubiecto in ſubiectum. Ergo reſtat vt illa vis formatrix ſit merè phyſica; quod eſt abſurdiſſimum: Quid enim abſurdius dici poteſt quã fœtus in vtero cõformationem, non eſſe actionem vitæ? Hoc argumento oppreſſi melioris notæ philoſophi,

multa fingunt & comminiſcuntur, vt eius vim eludant. Sed ſi res non verba ſectemur, nihil afferunt quod faciat ſatis. Etenim ridiculũ eſt quod dicunt, vt actio aliqua cenſeatur vitalis, ſufficere ſi ipſa etiam remotè procedat à principio vitæ coniuncto; quo modo, inquiunt, conformationis opus perficitur à virtute ſemini impreſsâ per vitalem generantis potentiam. Quæ ſolutio ſi locum habet, pariter licebit dicere motum lapidis per aëra eſſe vitalem, eò quòd vis illa motiua ſit lapidi communicata à virtute vitali. Deinde ſi in ſemine eſſet principium generationis actiuum, ignobilius produceret nobilius, & virtus ſeminis, quæ eſt accidens, per ſe produceret ſubſtantiam, ſaltem in brutorũ generatione. Nec valet reſponſio, quæ vulgò affertur, ni. vim illam ſeminis producere ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ ab-

ſentis, & habere rationem inſtrumenti ſeparati. Eſt enim de ratione formali omnis inſtrumenti ex Ariſtotele, vt motum moueat, nec priùs agat quàm ab agente actu moueatur: quicquid autem per virtutem impreſſam, permanentem, & realem mouet, iam non vt inſtrumentum operatur, ſed vt agens principale, ni. per virtutem ſibi propriam & inſitã, iámque ſuam non alienam: quo pacto virtus actiua ſemini inexiſtens rationem præcipui agentis obtineret, ac per ſe ſubſtantiam produceret. Quæ omnia cùm Philoſophiæ principiis repugnent, conſequens eſt conformationem ab animâ fœtus tãtùm fieri poſſe. Neque verò huic aſſertioni refragatur animæ definitio ab Ariſtotele allata cap. 1. lib. 2. de animâ, ni. quòd ſit *actus primus corporis naturalis organici poteſtate vitam habentis*. Ea enim tantùm intelligenda
eſt de

eſt de animâ in ſtatu perfecto conſideratâ, quando videlicet eſt in potentiâ proximâ ad operandum, non verò de nudâ & ſimplici animæ eſſentiâ, cuiuſmodi poteſt eſſe actus corporis nondum organici: vt taceam quot interpretationes patiatur organi conditio hîc à Philoſopho aſſignata. Quòd cùm ita ſit quis non videt animam primis diebus infundi oportere? ſaltem tertio, cùm fœtus tùm delineari incipiat & conformari, túmque artifice tantò ſapientiori indigeat materia, quantò operoſius eſt prima ſtamina & veluti licia ducere quàm implere, & rudimenta moliri quàm incrementa. Idem qui fecit & ordinauit mundum Deus Opt. Max. eundem & conſeruat quaſi continuatâ productione; ſic & eadem anima quod tuetur, formauit & opus ſinguláſque partes diſtinxit, quarum vſum ἀπαιδεύτως illa ita

nouit, vt non alia potuerit construxisse. Generantis est dispositiones inducere in materiam idoneam ad formam recipiendam sibíque vniendam, non verò eandem fingere & formare; sed ipsius animæ statim introductæ, siquidem irritus non sit conceptus: ne quis posteà ἀμβλωσιν procurari posse putet citra homicidij suspicionem. Vnde tandem concludo, si non certam, at certè maximè probabilem videri eorum opinionem, qui animam primis diebus infundi, seu intrinsecus ab extrinseco creari, existimant: tantúmque abesse vt eius assertores piaculum admittant, quin imò eò consultiùs sentiant, quò satiùs est in re dubiâ, & ancipiti eam tueri sententiam quæ criminibus excusationem, & obtentum non parat, coercerêque videtur seueriùs animorum sceleratissimos impetus.

RESVMPTA X.

An flatus frigidis exoluendi?

LVcianus Gallicus popularis noster in heroicâ Pantagruelis historiâ narrat, ipſum quondam in eum maris tractum fortè incidiſſe, in quo voces frigore concretæ vernali tepore ſoluerentur, ita vt eo maximè tempore nil niſi clamores & ſtrepitus eorum, qui hyemali tempeſtate illic naufragium feciſſent, aut periclitati fuiſſent, audirentur. Idem pene nobis in hoc medico Oceano contigiſſe videtur (Perdocte Bicquet:) Tandem enim poſt longam hyemis nauigationem, fatone an fortunâ, in eum ſinum incidimus (tuam theſim intelligo) in quo nedum voces, ſed & inſolentes bombi, ſtrepitus, bor-

Rabeleſius lib. 4. c. 55. & 56.

borygmi, à calore creati, & à frigore, præpostero ſane naturæ ordine, ſoluti, aures noſtras ne dicam nares confertim feriunt; ita vt hac potiſſimùm parte totus mundus, qui tibi animal eſt, crepare videatur. Neſcio an vt ſolemne Claudij Cæſaris edictum medico Imperatore dignũ hoc programmate reuocares? An vt Ægyptiorum ritus coleres apud quos habitus eſt inter numina ventris crepitus? Iſtis certè ſclopis humaniores Muſas à tuo conſortio explodis, vt totum te Medicinæ aſſeras, quas proinde hoc Hexaſticho tuo nomine valere iubeo,

Ite aliò ſacra progenies Iouis, ite Camænæ,
Cedite ventoſis putiduliſque Deis.
Succedunt vobis & iam in loca veſtra, vocantur,
Sordida plebs Diuûm Gaſtrius & Crepitus.

Egregiæ ite Deæ, ſi vos Anſelmus abire
Iußit, qui reuocet gratior alter erit.

Sed iocis relictis, Euge tibi, qui nolueris ad hos Sireneos ſcopulos conſeneſcere, quin vtilioribus ſtudiis addictus, ſtatim in ipſo limine maximi in medicinâ momenti quæſtionem proponis de flatuum origine, quos Hippocrates inſcripto de iiſdem libro omnium morborum cauſam agnoſcit. Et ſane cùm acerbiſſimi à flatu cruciatus excitentur, de remedio in primis debemus eſſe ſolliciti, neglectâ etiam interdum causâ, quàm tamen decreueram attingere; ſed cùm alius hanc quercum excuſſerit, ad aliam me conferam, adeóque ad ipſius grauiſſimi ſymptomatis remedia deſcendam. Si fauerit, &c.

Proponis quarta tua appendice frequentes in febribus ventos frigidis eſſe exoluendos. Quæ aſſertio

mihi in re medica parùm exercitato
ſcrupulum mouet, nec ſcio idne diſ-
putandi tantú gratia & negligenter,
an ſeriò & propria mente propoſi-
tum à te fuerit. Quicquid ſit Galeno
vidéris oppedere, omniúmque qui
hactenus medicinam fecerunt do-
ctrinam peſſundare. Nam quæcum-
que tandem flatus cauſa fuerit, cùm
illius geniti ratio tantùm hîc ha-
benda ſit, qui exoluendus eſt: ſe-
quitur vt ab attenuantibus reme-
diis, tam admotis quàm aſſumptis,
idipſum omnino præſtetur. Si qui-
dem flatus nihil aliud eſt ex Galeno,
quàm vapor quidam craſſus, turbi-
dus, in corpore genitus à calore di-
minuto, vel etiam, vt tecum ponam,
intenſiori, ex humoribus craſſis, pi-
tuitoſis, & crudis. At attenuantia
quæ Græcis διαφορητικὰ & ἄφυσα
φάρμακα vocantur, & in officinis
barbaro nec ſatis cognito nomine

carminatiua, omnia calida ſunt, quorum illud eſt proprium, vt flatuum materiam ſeu craſſum illum vaporem conuertant in tenuiorem & aëreum, ac ſubinde totum conſumant, quod fieri non poteſt, abſque caliditate & ſiccitate. Hinc Hippocrates libro laudato de flatibus, ait torminibus & inteſtinorũ doloribus quos flatus inferunt, calida fomenta vtiliter adhiberi, rarefacto enim corpore à calore fomenti, ſpiritus exhalat, vt quies inde aliqua & mitigatio dolorum contingat. Sic ex Galeni doctrinâ clyſmi diſcutientes ex calidorum decoctione & permiſtione omnino præparari debent, apud quem præcipuè 5. de ſimpl. med. facult. vis rarefaciendi & diſcutiendi in caliditate & ſiccitate planè conſiſtit, denſandi contrà cogendíque in frigiditate. Caloris quippe apud Philoſophos proprium eſt tenuare & rarefacere,

frigoris contra densare: vndeignis & aër calidissimi, tenuissimi: Terra & aqua frigidissima, densissima. Quî igitur fieri poterit, vt frigida flatus exoluant? Esto à calore efficiantur, ab eodem tamen dissipari & digeri debent, quemadmodum in μεγαλοκόσμῳ vapores à calore sursum educti, ab eodem si perseueret dispelluntur dissipantúrque. At, inquies, frustra ea discutientia vsurpantur, quæ flatus denuo gignunt, eorúmque causam augent, cuiusmodi sunt calida, vt allium apud Hipp. 4. de acut. text. 90. & Arist. probl. 6. sect. 13. quærens cur ab allio fœtida reddatur vrina; vbi inter alias causas hanc potissimã reddit, quòd flatus excitet, qui penetrantes ad vrinam, eam fœtidam reddunt: vt etiam gingiber apud Gal. & semen fœniculi apud πολυμαθέστατον Moræum clarissimum huius scholæ lumen, suis in scholam Salernitanam

exquisitissimis animaduersionibus. Verùm isthæc & similia quomodo vera sint, & intelligenda accipe ex doctissimo Mercuriali, qui lib. 1. de compositione medicament. sic respondet; *Ea quæ calida sunt & sicca, flatum semper discutere, siue sint in tertio gradu talia, siue etiam in quarto: sed varietatem esse interdum materiæ; quia vbi illa crassa est & viscida, facultas calida & sicca agens in hanc materiam, flatus gignit crassos, qui cùm nequeant facilè resolui, diutiùs in corpore spatiãtur: adeo vt, quando hæc medicamenta flatus gignunt, id contingat ratione materiæ viscidæ, crassæ, & multæ: Quod si nulla sit eiusmodi materia in corpore, sed solùm flatulenta, tunc medicamenta calida & sicca flatum dissoluunt, discutiunt, & efficaciter operantur, quando videlicet iam flatus in corpore factus occurrit.* Quo sensu Galenus 12. meth. cap. vlt. scribit *allium maximum esse flatus discusso-*

Plin. ca. 6. lib. 20. alliũ etiam maximum esse alexiteriũ asserit.

rium, proptereáque dicit *esse appellatũ à rusticis theriacam*. Hinc potiùs quàm de Ægytiorum superstitione intelligendi versus Persij satyr. 5. sub finem.

Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca Sacerdos,
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaueris allî.

Quædam tamen calida ratione materiæ medicamentosæ crassæ & viscidæ flatus excitant, vt gingiber cuius facultas cùm posita sit in viscida quadam humiditate, vbi à calore nostro in actum reducitur, agens in propriã materiam, fit flatulentum. Sed hoc nihil ad nos, agimus enim de remedio non de remedij materia, quod ab ipsomet flatu iam facto, & distendente indicatur. Aliud enim est flatuum generationem prohibere, & aliud fla-

tus exoluere: fateor quidem frigida in calidioribus naturis, & febribus flatuum prouentum impedire; sed non video quodnam auxilium ab iis tunc ſit expectandum, cùm iam flatus ipſi ægros fatigant. Quod tamen cùm aſſeris, reliquum eſt vt emphyſemata refrigerantibus topicis cures, & colicos à flatu dolores atque tormina, præſcripto ex gelidâ enemate tandem compeſcas.

RESVMPTA XI.

An homo ſaluberrimum corpus obtineat?

EA eſt rerum caducarum natura atque conditio, vt nihil vndique perfectum, & ab omni parte beatum naſcatur: Ita ſorti noſtræ ſemper aliquid deeſt, nulliſque hîc nos

bonis nisi malorum misturâ tempe-ratis fruimur. Hinc homo licet emẽdatissimum melioris naturæ opificium, ac veluti cæterorum Canon, pluribus tamen morbis obnoxium nascitur animal omnibus imperaturum, magnâ sane & sæuâ mercede contra tanta munera, vt loquitur Plinius. Inde summâ Dei erga homines indulgentiâ factum est, vt Medicum propter necessitatem ipse crearit altissimus. Quid enim humano corpore fragilius? Quid infirmius & insalubrius? Quot morbi quótque medicinæ contra mala excogitatæ, & hę quoque subinde nouitatibus victæ? vt non satis esset æstimare parénsne melior homini, an tristior nouerca fuerit natura absque Medicinæ subsidio. Non est igitur quod tu (doctissime Hommets) Platonem hac in parte sequutus, corpus à naturâ saluberrimum nobis fuisse datum existi-

Procemio l. 7. natur. hist.

mes. Fallitur ille dum medicinã diæteticam, ſimul cum Iuriſprudentiâ à ſuâ Rep. remouendam iri putat, ratus vtramque ex intemperie vitióq; noſtro ortum ducere. De Iuriſprudentia nihil dico: Sed longè pluribus nos infeſtari morbis quàm cætera animalia, non aliam ob culpam quã quòd homines ſimus, mihi certò perſuadeo tibíque, ſi affulſerit beneuolentia illius qui Medicinæ, cuique pariter Medicina multùm debet, acerrimus Hippocraticæ atque Galenicæ doctrinæ vindex & aſſertor, ſapientiſſimus huius actus moderator, fauerintque, &c.

Lib. 3. de Rep. ſeptẽ aut octo paginis ante finem.

Clariſſim⁹ vir D. de la Vigne intelligitur.

Morbus omnium maximè communis eſt febris, quâ hominum temperantiſſimi etiam frequenter corripiuntur, nec minùs Catonem quàm Næuolum . . . . . *tempore longo*

Torret quarta dies olimque domeſtica febris.

Iuuenal. ſatyr. 9.

At verò cætera animalia eiusmodi febribus numquam laborant ex Plinio naturalis hist. lib. 7. cap. 50. Vbi miraculi loco ponit Zenophilum Musicum centum & quinque annis vixisse, sine vllo corporis incommodo. *At Hercule* (inquit ille) *reliquis hominibus per singulas membrorum partes, qualiter nullis aliis animalibus, certis pestifer calor remeat horis, aut rigor; neque horis modò, sed & diebus noctibúsq; trinis quadrinisue, etiam toto anno.* Et certè multis rationũ momentis contendit Gometius Pereira in tractatu de febribus, hominis non minùs proprium esse febrire quàm ridere. Sed sepositâ tantâ dubitatione, id saltem omnibus pro confesso habetur, bruta raró febre corripi, homines sæpissimè & leuissimâ quauis occasione; cuius rei rationem assignat Aristoteles probl. 5. sect. 10. nimirùm quia homo quantitate sanguinis illa om-

nia excedit, ſicut inter homines, ſanguinei febribus magis ſunt obnoxij. Tantam porro ſanguinis in homine neceſſitatem aliàs retulimus, in capacius cerebrum & maiorem ſpirituum animalium copiam ſufficiendam, vnde febris rationis atque intellectus mulcta eſſe videtur; quam præ cæteris animalibus Ceruæ, non ſentiunt ex eodem Plinio cap. 32. lib. 8. de quibus ait, *Febrium morbos non ſentit hoc animal, quin & medetur huic timori.* Dicam ampliùs, piſces peſte numquam laborant, ex Ariſt. homines contrà omnium maximè. Neque verò peſtis aliique morbi Epidemij & Endemij, tam prauæ victus rationi imputari debent, quàm naturali corporum diſpoſitioni & imbecillitati, quæ cauſarum externarum impetum ſuſtinere non valent. Quod ſi ad alios morbos tranſeamus, nihilominus præ cæteris animalibus vexatur ho-

Reſumptâ 4.

mo. Enimuerò constat omnes magnos morbos & frigidos, à cerebro scaturire tamquam fonte & μητρόπολει τοῦ ὑγροῦ καὶ ψυχροῦ: vnde tot frequentes destillationes, fluxiones, obstructiones, genus humanum percutiunt * ac prosternunt, quibus ne vix quidem cætera animalia tentantur. Cuius rei causam reddit Aristoteles in probl. quòd caput in homine erecto corpori superpositum instar magnæ cucurbitulæ vapores omnes à partibus inferioribus sorbeat, vnde cerebrum assiduis haustibus perpetuò inebriaretur, nisi homini quàm brutis, & plures essent atque laxiores cranij suturæ quibus cerebrum difflettur; & plura per nares, & os excrementa profunderentur, quæ si subsistant grauissima excitant symptomata. His adde cerebri & vasorum in homine amplitudinem, quibus fit vt soli homini sanguis è naribus stillet ex

* ἀποπλῆκτοι.

let ex eodem Arist. ibid. & magna humorum vis instar cataclysmi in partes subiectas depluat. Cuiusmodi causæ cùm sint de naturali hominis constitutione, constat ipsum à naturâ corpus obtinuisse animalibus cæteris insalubrius. Hinc ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστὶ Hippocrati Epistolâ ad Damaget. Nec obstat eiusdem summa perfectio & temperies : nam quantò est operosior organorum apparatus, tantò difficiliùs ea contineri, & inter se diu cohærere possunt: quantóque quid temperatius est, eò etiam promptiùs corrumpi potest & deterius fieri; ita quidem vt summũ vitium summæ integritati semper sit finitimum : Hinc animalium semen præcipuè hominis, quod est, vt aiebat Pythagoras, ἀφρὸν τοῦ χρηστοτάτου αἵματος, si corrumpatur, veneni induit naturam ex Gal. & humorum temperatissimus sanguis putredini maximè Probl. 2. sect. 10.

opportunus eſt. Hinc etiam temperatiſſimorum hominum temperatiſſimos cibos ingerentium excrementa peſſimè olent, vt notat ſubtiliſſ. Scal. contra Card. Ex quibus concludere par eſt hominis corpus naturali ſua conſtitutione, pulcherrimũ quidem eſſe, ſed inſaluberrimum, & floribus ſimile qui cùm ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcunt.

RESVMPTA XII.

An cutis ex venarum, neruorum & arteriarum extremitatibus generetur?

NON ſine fato contigiſſe arbitror, vt tu (Chriſtiane Suauiſſime) finem ac veluti coronidem hiſce primis ſtudiorum noſtrorum experimentis imponeres, & aliquam nobis gratiam ſuauiſſimo hoc exitu

conciliares. Decebat quippe patricium iatrogonistam atauis editum Archiatris, nō tantùm sibi, sed & sociis, gloriam comparare, eorúmque primos conatus πελδ τελδωτάτω coronare. Fœlices nos quos eadem meta exercuit, & iidem carceres hodie simul excipiunt, dùm aliquamdiu à cursu respiremus. Tu noster es Ascanius, domesticâ & paternâ laude clarus, imò propriâ virtute & indole nō minùs quàm gẽtilitiis stématis generosus: Tu Guillelmi & Quinti Septimij Florẽtis Christiani spirãs imago & genuina proles, nō vanâ febriculosæ eruditionis ostentatione, sed seuerâ lege auos imitatus, ita literas coluisti, & morũ suauitate condiuisti, vt ingratissimus sit oportet, cui non fueris gratus. Macte igitur virtute & ingenio, (Christiane Musarũ alumne) ad metam fausto pede perge, & votis ad inuidiam fœlicibus

fruere. Habes Deorum auſpicia, ſapiẽtiſſimum intelligo huius poſtremi actus magiſtrũ, qui, veriùs quàm delirus ille Philoſophus apud Laërtiũ, πένταθλος eſt, ac nobis pene Deus, cui tam exactè nota eſt miſtionis ratio quàm cæteris ignota. Tu verò (Erudite Baccalauree) dũ cæteros & ſubtiliſſimi Præſidis ingenio & tuo metiris, omnibus æquè cognitu facilem eſſe mixtionis modum arbitraris, & perſpectam partium omnium compoſitionem. Sed longè ſecus mihi contigit, vel in eâ parte quæ omnium extima eſt, & ſenſui primùm obuia, ni. cute, quam cùm aſſeris ex venarum, arteriarum & neruorum inexplicabili texturâ coaleſcere, tum mens hebet, nec huius propoſitionis veritatem ſatis aſſequitur. Difficultatem paucis exponam, ſi priùs clariſſ. Præſes, &c.

Theſeos tum doctiſſimè propoſitæ, & fortiſſimè propugnatæ aſſertio fuit, *Ergo mixtio noſcenda medico.*

Primum tuæ ſententiæ auctorem

agnoſco Ariſtotelem, leui ſane du-
ctum ratione, cap. 5. lib. de ſpiritu,
quem deinde inter recentiores ſe-
quutus eſt inſignis anatomicus Real-
dus Columbus anat. lib. 13. Sed vter-
que à veritatis ſcopo longè aberraſſe
videbitur ei qui cõſtantem & apertã
Galeni hac in parte doctrinam accu-
ratè perpẽderit. Is quippe lib. de for.
fœtus, poſtquam egit de membranis
fœtum inuoluentibus, ait, κατ' αὐτὸ δὲ
τὸ ἔμβρυον ἴδια μόρια, πρῶτον μὲν ἁπάντων
τὸ δέρμα, σκέπασμα καὶ ἀμφίεσμα σύμφυ-
τον ὑπὸ τοῦ δημιουργήσαντος αὐτὸ γεγονός.
Cuius nos auctoritatem hac demon-
ſtratione fulcimus, videlicet quòd
funiculus ille quo continentur vaſa
vmbilicalia, quique ideo in primis
neceſſariò fieri debet & formari, ad
cutem pertineat ipſique cohæreat &
continuetur, ita vt nullus eſſe poſsit,
antequam cutis formata fuerit. Idem
primo de temperamentis cutem tem-

peratam, & in omnis excessus medio positam ideò asserit, quòd ex æqua seminis & sanguinis portione primũ coaluerit, vnde ipsam definit neruum carnosum seu sanguine præditum, quasi quæ inter carnem neruũque ambigat. Quia tamen in prima cutis generatione plus inest seminis quàm sanguinis, spermaticis partibus magis videtur affinis, adeóque continui solutionem passa, vulnus cicatrice seu medio heterogeneo obducit. Nihilominus temperata cùm sit & partium primigenia, absurdum est ipsam ex venarum neruorum arteriarúmque extremitatibus dilatatis & diffusis generari; sic enim sequeretur eam omnino esse spermaticam, nec absolutè temperatam, præterea omnium partium postremam oriri. Quę omnia cùm sint falsa, multò magis & illud ex quo sequuntur. Neque sanè frustra cutim temperatissimam con-

didit natura, quippe quæ tactus ſit proprium organum, ex Galeno paſſim, cuiuſmodi omnis excedentis qualitatis expers eſſe debuit; ſiquidem αἰσθητήριον omne ἄποιον eſſe oportet, vt ipſemet demonſtrat Ariſt. 2. de animâ. Hinc fortaſſe ille ſuam de tactus ſubiecto ſentẽtiam nullibi apertè explicuit. Quin etiam diuerſam cutis generationem videtur aſſignaſſe eodem libello de ſpiritu, vbi quoque cutem ex carnis ſuperficie ſicceſcente & ſeneſcente fieri inſinuat, inſtar eius pelliculæ quâ puls refrigerata incruſtatur, quæ γραῦς ſeu vetula nuncupatur: Eius hæc ſunt verba, Ἐμπεδοκλῆς δ᾽ ἐκ νεύρου τὸν ὄνυχα τῇ πήξει· ἆρ᾽ οὖν οὕτω καὶ δέρμα πρὸς σάρκα; Cap. 6. Quod quidem vel ipſa αὐτοψία diſſuadet; cutem enim & muſculorum carnes interiacet membrana adipoſa. Quare ego ſententiam Galeni potiorem duco, vt quæ philoſophiæ prin-

cipiis ipsique naturæ, & anatomiæ magis consentiat. Sed dum plura meditor, promissis non maneo, aliisque dicēdi occasionem fortasse præripio. Quamquā quid vetat his Hilaribus feriis cutis generationem paulò prolixiùs inquirere, quibus vel maximè de curandâ cuticulâ cogitatur. Attamen & hoc quoque nomine nunc cessandum, linguísque fauendum; aut saltem, si otiari non licet, cum Iurisperitis philosophandū. Hodie regnāt medicorum nutriculæ Apicij artes, & Bacchi non iam trieterica, sed annua celebrantur: solennis dies crastinus aduenit, quo Hypatæ Deus * hilaro atque gaudiali ritu propitiatur. *Dulce est in tempore desipere.* Hactenus ingenio, nunc quando libet & licet, genio indulgendum. Persicos video apparatus: μαγειρικὸν subaudio strepitum: nasum nidore supinor. Valete quod-

* Ni. Risus. Apul. sub finem lib. 2. Metamorph.

libetariæ ſubſelliorum curæ. Iam nos aſpiratum *Bacchalaurei* nomen inuitat ad ſuperiores ſcholas, ad quas vt properemus,

Verbum non ampliùs addam.

Finis partis primæ.

PRimis quodlibetariis peractis successerunt Cardinalitiæ vulgò dictæ disputationes, quæ deinde quadragesimali tempore celebratę fuere, singulari de Hygieine propositâ thesi ab vnoquoque Baccalaureo iuxta Doctorum præsidentium ordinem. In his actibus propugnator Baccalaureus non iam Doctores habet oppugnatores, vt in quodlibetariis, sed socios Baccalaureos, quorum argumenta distinctè repetit & soluit. Ibi singuli arrectâ laudis cupidine animati, neruos omnes ingenij intendunt vt aduersarium impediant, &, si fieri potest, loco moueant, idque repetito semel atque iterum cõgressu. Ego certè non minùs mihi gratulor quòd eum conflictum, licet cum quodlibetariis non comparãdum, sustinuerim, quàm si assertionum, problematum, & paradoxorum centuriam proposuissem aut dissoluissem. Porro illius thesim hîc excudendam curaui ad finem prioris anni, quòd tum à me proposita fuerit & propugnata: Cuius quidem quæstio hæc fuit, *Possetne senectus arte medicâ retardari?* quam ita perstrinxi, vt summa omnia Hygieines capita, insertis pro more assertionibus non paucis, attigerim.

QVÆSTIO MEDICA Cardinalitiis disputationibus mane agitata in Scholis Medicorum, die Iouis 3. Maij.

M. FRANCISCO BOVIONIER, Doctore Medico, Moderatore.

Potéstne Senectus arte Medica retardari?

I.

MORS non peccati soboles, sed naturæ: non vitæ finis, sed extremus terminus, fatalis quidem & necessarius, minimè tamen præfixus, támque incertus quàm ineluctabilis: non æquo pulsat pede pauperum tabernas regúmque turres; ocyùs, tardiùs, omnium mouetur vrna. Eâdem nascendi & denascendi lege tenemur: sed vnus ingressus plures habet egressus; & cũ

ortus nostri vnica sit via, interitus est multiplex: violentus vt plurimũ prudentiâ præcaueri potest; naturalis, cuiusmodi est omnis doloris expers, si non prohiberi, saltem arte differri. Ibi ratio & ars locum habent, vbi necessitas non imperat. Posuit Deus hominem in manu consilij, & vitæ vsuram eius arbitrio permisit: Arti incolumitatem & diuturnitatem cõmisit. Hanc qui negat, Deo iniuriam facit & Naturæ. Hinc verus Medicus ἰσόθεος, cuius beneficio, οἱ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν, νόσων, πόνων, λύπης, θανάτου: & sanorum valetudo in multos annos continuata conseruatur. In temperatis & exquisitè sanis omnia naturæ & consuetudini deferenda: cæteri arte correctrice & directrice indigent, quam plerique etiam inscij sequuntur. Neque profectò miserè viuunt, qui medicè viuunt.

II.

OMnium Medicinæ partiũ prima eſt & præſtantiſſima ὑγιεινὴ, quæ præſentem hominis ſanitatem aut inculpatam ſimilibus tuetur, aut nutãtem modico contrariorum vſu firmat, ac ſubinde vitæ curriculum prorogat: Cuius poſtrema ętas ſenectus eſt, non tam annorum numero, quàm corporis temperamẽto frigido ſicco, æſtimanda. Prima dies calidiſſima humidiſsima; vltima frigidiſsima ſiccisſima, ad quã γῆρας via eſt in animalibus, αὔανσις in plantis: hinc ſenio extincti proprio nomine ἀλίβαντες dicti. Partes ſolidas exſiccari ſi prohibes, ſenectutem ſiſtis & μάρανσιν naturalem arces: corpus excrementis ſi liberas, morboſam impedis. Eſt quippe in viuentibus (præter communem materiæ primæ nouarum formarum appetitum, & inſitum materiæ ſecundę contrariorum

dissidium) connata interitus causa duplex, perennis triplicis substantiæ effluxus, & ineuitabilis excrementorum prouentus: vnde viuificus calor, elemẽto stellarũ * proportione respondens, ϰ̀ τῇ φύσει, ϗ τῇ ἀνάγκῃ sensim fatiscit: ille suo fraudatus genio, ambientis furto thesaurum vitæ depeculantis, tantam iacturam cumulatè nequit resarcire; quin assiduo agitatus opere, vires deperdit eũdo; &, subortis ex nouâ dissimilis substantiæ instauratione excrementis, continuò deteritur.

* Ex Arist. cap. 3. lib. 2. de generat. animal.

III.

NAtura fatalia hæc viuentium damna vtcumque reparat, aëris inspiratione & trãspiratione, quo ne momento quidem carere possumus; alimenti tã solidi quàm liquidi intussusceptione, abs quo hominis vita vltra septimum diem non prorogaretur; & excremẽtorum vacua-

tione, quibus alioquin calor citò obrueretur. Naturæ miniſtrat Medicina quæ horum delectu & ratione adhibitâ, fœliciorem triplicis ſubſtantiæ reparationem molitur, & parciorem ſuperfluitatum prouentum maturiùs excludi procurat. Aëris nō ſolùm ſubſtantiâ reficimur, ſed etiam temperie iuuamur: illa tenuis & pura omnibus peræquè vtilis eſt: hæc variis naturis varia conuenit, ſoli Medico Diætetico diiudicanda. In eſculentorum & poculentorum ratione ſpectatur καὶ τὸ ποσὸν, καὶ τὸ ποιόν: naturam ἐν τῷ ποσῷ ducem ferè ſequimur: ἐν τῷ ποιῷ diligētiori cautione eſt opus: An id tantùm quod ſapit, nutrit? Certè id alimentum Ambroſiam atque Athanaſiam vincit, quod cùm plurimùm laudabilis ſucci generet, facilè coquitur, & in partes εὐδιάδοτον digeritur. An ſanis à ſuilla carne abſtinendum? credat Iudæus Apella, non

ego. Nulli non prodeſt vini dilu-ti, aut mulſi, potus. Eduliorum va-rietas natiuum robur fatigat & deii-cit: Eorum ſumendorum tempus na-tura præſcribit, Ars ordinem & præ-parationem: ita vt vtraque per ſe in-digens, altera alterius auxilio vi-geat.

IV.

ARtis potiſſima eſt cura in excre-mentorum vacuatione, quæ in vnaquaque coctione ſegregantur: in prima per aluum: in ſecunda per ve-ſicam: in tertia per totum corporis habitũ, cuius ratione tam varia exer-citationum, frictionum, balneorum, genera, à legitimâ Gymnaſticâ (quæ ὑγιεινῆς pars eſt) inuenta ſunt & inſti-tuta. Moderatâ tum corporis tũ ani-mi agitatione, calor vegetior factus perfectiorem coctionem promouet, expeditiorem diſtributionem, vali-diorem nutritionem, ſuperfluorum

excre-

excretionem faciliorem: vno verbo vitæ principia diutiſſimè fouet, nec præproperè diſsipari ſinit aut opprimi: Labor, quo fames commodè opſonatur, cibum præcedat, quies excipiat. Impura corpora medicamento mouenda ſunt ac veluti exercenda, deinde nutrienda. Cùm duo faciunt idem, non eſt idem: neque omnibus Venus eſt eadem, omnibus tamen moderata competit, pręſertim à ſomno. Hîc Stoicorum ἀπάθειαν minimè probo; in μετριοπαθείᾳ εὐθυμία eſt animíque tranquillitas, & vitæ fœlicitas. Vt humores ſic & mores componendi, *ſi non tædet cæli conuexa tueri.* Hac philoſophiâ Democritus ſenectutem diu fouit, intus melle & vino, foris oleo. Profuſus magis quàm lautus Caligula conuiuas peſsimè accipiebat, quibus ex auro panes & opſonia apponeret. Symptomatica eſt *auri ſacra fames*: ex quo vitale nihil

eliciunt mẽdacissimi Spagyrici. Mãgonio & fucis, quibus mulierculis os sublinunt, cuticula exuitur non senecta. Perditus Paracelsus impiè Peliam recoquere tentat: ἀπὸ τῆς γηράσεως ἐπὶ τὴν νεότητα οὐκ ἔξιν γίνεσθαι μεταβολὴν, ἀδύνατον.

V.

MAκροβιότης non ex solâ humidi vbertate repetenda est, quin potiùs si nec illud sit aqueum nec excrementitium; sed lentum, pingue, & aëreum, quod neque siccetur facilè, neque congeletur. Hinc oleosæ & resinosæ arbores cæteris diutius perennant: nec sunt proceriora animalia minoribus perpetuò viuaciora; imò pecus aquatile terrestri βραχυβιώτερον. Hinc etiam homines in locis calidis degentes perhibentur diuturnioris æui. Calidum humidum numquam peccat in excessu: & sanè idipsum temperamentum maximè confert ad sanitatem, quod ad diu-

turnitatem conducit : alij tamen integrâ valetudine citiùs vitæ pensum absoluunt ; alij licet aduersâ, tardiùs. Omnibus victus error plures annos potest præripere, quos artis Medicæ beneficium addit, non modò quòd marcorem seu senectutem ex morbo emendet , atque sæpius tollat ; sed etiam quòd naturalem legitimo sex rerum nonnaturalium vsu, remoretur, &, si non impediat vel auferat, saltem retardet.

Ergo Senectus arte Medica potest retardari.

Proponebat Lutetiæ VIC. PALLV, Turonensis. A. R. S. H. M.DC.XXIX.



QVÆSTIONVM EX ſubſelliis Medicorũ per biennium agitatarum, quas vulgò Reſumptas vocant,

PARS II. ALTERO ANNO dicta à Martinalibus anni 1629. ad eſuriales ferias Quadrageſimales anni ſequentis.

RESVMPTA I.

An nouæ morborum ſpecies ab inſolenti aſtrorum conſtitutione?

EQVIDEM piaculum admittere putarem, ſi poſt exactas ſex menſium inducias, quibus triſti velut iuſticio clauſa ſchola obmutuit, huc

insalutato loci genio accederem, & intermissam consuetudinem absque veniæ præfatione repeterem. Sed quàm fœliciter nobiscum agitur, qui facilem Deum & iam exoratum inuenimus, quippe quem tu (doctissime Reginalde) primus adieris atque conspectu tuo demulseris. Video lætitiâ gestientem illum, & plaudentem audio tibi aduenieti. Scio quàm impensè sertis tuæ theseos floribus & corollis delectetur; vt non acceptiori donario potuerit propitiari, quàm eo in quo & sapientiss. præsidis nomen & tuum inuenit: quorum vel altero gratiam facilè obtinuissemus. Quin tu, Phœbæe Seguine, tuorum iure natalium ingeniique diuinitate, ita illi coniunctus es, vt ad te conuertenda videatur hæc oratio, cui velut præsenti numini iamdudum inuocato nunc tandem liceat supplicare. Tu igitur cuius auspiciis ingens

iteramus æquor, nauigantibus adsis, atque ceu Castor & Pollux salutari benignóque lumine affulgeas.

O comites peioráque passi
Mecum sæpe viri, Phœbo duce & auspice Phœbo
Nil desperandum:

Seguino, inquam, duce & auspice cuius fœlici omine Syrtes & scopulos superabimus, atque cursum secundis ventis absoluemus. Iam itaque adoratis syderibus anchorísque sublatis è portu soluendum, & incentiuo celeusmate alacriter remis incumbendum.

Arbitraris (doctiss. Reg.) nouas morborum species & ideas non aliũde inuehi, nec in alias atq; alias regiones veluti peregrinatione quâdã circũferri, quàm ab insolenti syderũ astrorúmque situ & aspectu. At ego non reor tantam esse cœlestibus illis luminibus inditam malignitatem, vt

συμποσ. προβλη-ματ. βιβλ. ή. προβλ. β΄.

tam exitialia morborũ ſeminaria fo-
ueãt, eáque vi propriâ excitent. Certè
Diogenianus apud Plutarchũ negat
dari re vera morbos nouos qui priùs
nõ fuerint, ſed eos nominibus tantũ
nouari aſſerit, vel certè pro maiori
minorive antiquorum morborum
intenſione, aut eorumdem inſuetâ
ἐπιπλοκῇ καὶ μίξει nouos videri. Sed
cùm magis & minùs in morbis eorũ
mutet ſpeciem, & inſolentia ſympto-
matum cauſæ nouitatem certò ar-
guat; non eſt quod dubitem nouos
morbos cum pluribus ponere, perin-
de ac mõſtra quæ eadem natura quo-
tidie varia producit: ſiquidem opti-
mè illi καὶ τὰ νοσήματα τὴν φύσιν, ὥσπερ τέ-
ρατα, γεννᾶν ἀξιοῦσι, nequicquam τῆς σε-
λήνης ἐκτρεπομένης καὶ τὰς ἀναβολὰς οὐχ ὅθεν
εἴωθεν ποιουμένης. Vnde igitur hęc mor-
borum nouitas? Plures cauſas reor,
quarum vltima remotiſſimáque, vt
arbitror, cœlum eſt. In primis autem

ποικίλον τῆς διαίτης, vt ait alter ille, ποικίλα νοσήματα párere facilè mihi persuadeo: vt enim nõ eadem est viuendi ratio, sic nec iidem ingruunt morbi, quorum nùmerus, fatali naturæ nostræ conditione iam satis multus, cum hominum intemperantiâ ita abundauit, vt non alia Pandoræ pixis fuisse videatur: ἐκ τούτων γὰρ νοσοῦμεν οἷς καὶ ζῶμεν, inquit ibid. post Hippocratem Plutarchus, vbi idipsum eleganti oratione prosequitur, & planè demonstrat. Plato item 3. de Rep. vbi Æsculapij ætate φύσας καὶ κατάῤῥους nõdum extitisse dicit, temporum subsequutorum θρύψεις, ἡδυπαθείας καὶ ἀκολασίας omnium intestinorum morborum auctores causatur. Et sanè nondum reperta erant illa gulæ irritamenta ἡδύσματα καὶ ἀρτύματα; nondum Attica bellaria heroum mensis locum inuènerant; nondum Sicula in dapibus varietas placebat, & Ko-

εὔηθος κόρος veluti κόρη adblandieba-
tur, cùm homines plurium annorum
vitam, quàm nunc mensium, incolu-
mem transigebant. Tu verò (docte
Bacc.) vt hanc luxus & intemperan-
tiȩ infamiam excuses cœlum accusas,
& astris innocentibus incontinentiæ
nostræ labem imputas. Nescis om-
nem, quæ in mundo sublunari con-
tingit, effectuum diuersitatem, ad
causas proximas & singulares esse re-
ferendam? *Sol & homo generant homi-*
nem; sed Sol vt causa remota, publi-
ca, atque, vt loquuntur in scholis,
æquiuoca. Etenim communis ille
rerum omnium parens calor, coæua
cœlestis luminis soboles, se habet ad
rerum generationem, vt calor galli-
næ ouis incubantis ad pullorum ex-
clusionem: hic siquidem licet vnus
idémque, tamẽ pro diuersitate ouo-
rum suppositorũ, varios partus edit
atque etiam inter se specie distin-

Lib. 2. Physic. cap. 2.

ctos: ita & ille pro multiplici materiæ ſecundæ diſpoſitione res producit toto genere inter ſe differentes, eaſdémque pariter fouet, quippe quę pro diuersâ, quam nactæ ſunt in ortu, ex elementis compoſitione, aliæ aliis citiùs, tardiùs, vergant ad occaſum. Hinc fit vt à materiâ ſecundâ rerum omnium varietas atque nouitas omnino ſit repetenda; hæc enim neceſſitaté rebus omnibus importat, quæ licet hypothetica ſit ſeu ex ſuppoſitione finis, ab eo tamen naturam plerumque diuertit, eiúſque intentionem eludit. Lex quidem vniuerſi pendet ab vniuerſali cauſa: partium verò ſingularũ à ſingularibus, τὰ μὲν γένη, τῶν γενῶν· τὰ δὲ καθ' ἕκαστα τῶν καθ' ἕκαστα, inquit Philoſophus 2. phyſic. textu 38. vno verbo cauſa effectui nũquam non ſimilis eſſe debet. Hîc tu procul dubio ad peculiarem cælorum influxum recurres, quem in tua

thesi palam admittis præter Aristotelis sententiam, reique, vt opinor, veritatem. Is equidem cap. 10. lib. 2. de ortu, vbi datâ operâ cælorum vires in hæc inferiora explicat, motus tantùm mentionem facit qui causas generationis vniuersales admouet & amouet, calorem (inquam) cœlestem, quo accedente res generantur vegetātúrque, recedēte marcescunt ac intereunt. De influxu verò latente illo & singulari, ne gry quidem neque ibi neque vspiam alibi: hoc tu supra me scis qui soles ipsius monimenta,

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ.

Et profectò alienum est à philosophorum consuetudine & disciplinâ, miniméque conuenit eos qui rerum intelligentiam ratione naturali tradere profitentur, aliquid in natura ponere quod neque ex sensu, neque

ex iis quæ à ſenſu oriuntur, conſpicuum ſit: At non conſpicimus experimúrue cœlum aliis vti inſtrumentis, præterquam motu & luce: nec verò vlla ratio euincit pluribus opus eſſe, ſi quidem ei effectus nulli temerè imputentur. Quid enim ad aſtra recurremus, vbi cauſas habemus domeſticas? Atque vt ad propoſitum in tuâ theſi morbum veniam, cur leproſum cœlum credam & Elephantiaſeos parentem atque propagatorem, cuius tu veras & proximas cauſas tam accuratè ſenſibus ſubiicis? Quòd ſi illa patrum memoriâ frequẽs nunc videatur exulare; totum hoc eſt medicinæ & politicæ prudentiæ beneficium. Huic tamen ſucceſſit cognata, vt ipſe fateris, ſyphilis,* quæ infœlici Hiſpanorum commercio potiùs quàm cœli morbo, noſtras regiones inuaſit tanta feritate, vt hoc nomine nulli fuerit ſecundus morbus, tantó-

* Quaſi contagiũ amatoriũ, vel, vt alij ſcribunt, Siphylis παρὰ τὸ σίνειν τὰ φύλα.

Pleriq; vocāt Poscas Gallicas, nonnulli Hispaniē-ses.
Erasm in ep. nūcup. ad libellū de lingua.

que apud nos contagio vt Gallici cognomen obtinuerit. Primùm quidem immedicabilis ille & leui fomite gliscens, nunc mitior Medicorum arti curæque cedit, quorum solertia atque industria primas tam diræ luis radices scrutata tandem euulsit, & inuentis remediis laborāti orbi subuenit: iámque victum prorsus euanuisset malum nisi hominum incontinentia omnem medicorū diligentiam superaret. Sic profectò & Elephantia repressa est. Tune verò hanc laudem Medicinæ inuides vt cœlo tribuas? Si ab astris, frustra hydrargyrosin præscribis, neq; enim illa causam remouebit, quam tu peculiarem & proximam ponis: nisi fortè Dardaniis magicísque artibus eruditus Medicus sydera de cœlo deducat. Sed cur plura addo? qui sciam te vnū esse ex iis, qui loquuntur vt plurimi & sapiunt vt pauci: mihíque certum

ſit & compertum te animi & ingenij tantùm experiundi gratiâ Aſtrologorum vanitati hîc patrocinari voluiſſe. Ita ſanè aliquando iuuat cum ratione inſanire.

RESVMPTA II.

An ſanitati ſuum ſit contagium?

VTINAM (Chriſtiane animo meo chariſſime) ea foret rerum humanarum natura, eáque boni conditio, vt fœlici contagione communicaretur, ac veluti per fomitem propagaretur. Nunc vtique fortunam meam impenſiùs laudarem, quæ me ſyncerâ familiaritate tibi coniunxit, tuóque conſortio, quo ſuauiſſimè fruor, beauit; ex quo cultiſſimos mores tuos imbiberem, & heroïcos tuę indolis ſpiritus haurirem. Verùm vt

malum contactu inficit, non ſic bonum perficit: Neſcio an inclinante ſemper & potiore in deterius naturâ. Certè capax lactis ſinus paucas atramenti guttulas vix dealbat, imò iiſdem facilè contaminatur. Non eſt tamen quòd ita de tua virtute philoſophari velim, cuius actiuitatis ſphæra nullibi ſterileſcit: vt lux lucẽ ſpargit, ſic illa ſui diffuſiua ſubſellia noſtra illuſtrat: Dicerem ſolem orientem, niſi eadem, vt auguror, occaſum numquam eſſet habitura. Sed video te proprias laudes non patienter ferre, & hoc linguæ plauſu, quamquam à veritate expreſſo, non delectari. Quare mihi hac in parte temperabo, vt modeſtiæ tuæ indulgeam. Interim, dum iſtam morum contagionem experiri cupio, ad affinem quæſtionem & ad nos magis pertinentem, ſermonem conuertam, an ni.ſanitati ſuum etiam concedendum ſit

conta-

contagium? vt quarto tuæ theſeos corollario aſſeris. Sed, *à Ioue principium Muſæ*, hoc eſt, à ſupremo huius actus moderatore ſapientiſſimo, cæteriſque maiorũ gentium Diis, à quorum ſupplici inuocatione hanc diſputationem auſpicor.

Etſi contagium, ſi vim nominis ſpectemus, nòn tam affectionem aut affectus impreſſionem, quàm ſimplicem corporum contactum ſignificare videatur: tamen vſus obtinuit vt non ſolùm pro contactu, ſed & pro affectione quæ alteri communicatur, nomen hoc vſurpetur. Cuiuſmodi definitur à pleriſque *affectio præter naturam*, à te verò etiam *ſecundum naturam, quæ alteri corpori à corpore ſimiliter affecto imprimitur*. Quod vt rectiùs intelligatur, hîc tria ſunt attendenda. Primò ipſum agens ſeu corpus contagioſum quod alia afficere poteſt: ſecundò affectio quæ al-

teri communicatur alicuius fomitis vehiculo: tertiò patiens ſeu corpus quod affectionem recipit. Quorum vnum ſi deſit, contagium impediri neceſſum eſt. At ego iſta tria in ſanitate communicandâ deſiderari, ſigillatim paucis ſic demonſtro. Primò agens quod attinet, illud non poteſt agere niſi in ſimile puta ſanum, aut contrarium puta morboſum: Non in ſimile, nulla enim datur actio inter ſimilia ex Ariſt. cap.7. lib.1. de ortu, quo modo nec peſtis in peſtem habet imperium: Non etiam in contrarium ſeu morboſum; Cùm enim omnis actio ex philoſophorum conſenſu ſit à proportione maioris inæqualitatis, actio potiùs erit penes morboſum in quo eſt exceſſus, paſſio verò penes ſanum in quo æqualis eſt temperies, ac proinde ſanus potiùs afficietur quàm afficiet. Secundò quoad ipſam affectionem, fieri non

poteſt vt ſanitas cõmunicetur quemadmodum morbus: *Illa enim quies eſt, hic motus*: * Ergo hic mouere poteſt, illa verò minimè, vt docet Ariſtot. probl. 4. ſect. 7. aduerſus quem hæc tua aſſertio è diametro pugnat. Deinde cùm ſimilis affectio non tranſeat ab vno ad aliud ſine aliquo ſubiecto in quo inſit, cúmque illud contagij ſubiectum ſeu effluuium oporteat eſſe tenue quidem, attamen viſcidum, lentum, atque adeo ex tuo præcedenti corollar. σηπεδονώδες, quod facilè ſeſe inſinuare, tenaciter adhærere, & diu durare poſſit: Cuiuſmodi cùm nihil expiret è corpore ſano, ſed tantùm tenuis quædam aura halituoſa, & quæ citiſſimè reſoluitur; fieri non poteſt vt ipſa ſanitatis affectio in alium tranſeat & propagetur. Tertiò patiens corpus nullum ſic affectũ eſſe poteſt, vt ſanitatem ab alio tranſfuſam excipiat, ſi quidem quicum-

* Hoc modo ſanitas & morbus differunt genere proximo, licet conueniant remoto. Ita Septali⁹ doctiſſ. comm. in hoc probl.

que tandem excessus sit in corpore patiente; non potest reprimi ab affectione temperatâ, sed ab eâ tantùm oppositâ, quæ tot gradibus à medio recedat, quot ipse excedit: Theorema enim est medicum à Galeno toties inculcatum, quòd quantùm morbus à medio deflectit, tantûm in oppositam contrarietatem remedium vergere oporteat; quemadmodum qui distorta ligna dirigunt, trahunt ea & flectunt in oppositam partem vt recta fiant. Quare etiamsi communicaretur sanitas, in patiens tamen corpus nihil promoueret. Neque verò putandum est philosophicum axioma hic locum habere videl. quòd *contraria sese mutuò expellant ab eodem subiecto.* Namque hoc tantùm valet in contrariis extremis, non autem mediis: siquidem medium extremis seorsim sumptis non censetur còtrarium, ex 10. metaphys. & quem-

admodum virtus secundum genus, contraria quidem est vitio, nulla tamen virtutis species contraria est vitio alicui, sed vitium vitio quod sese mutuò destruit: Sic etiã licet sanitas & morbus secundum genus opponantur, & duo simul extrema medio sint contraria, veluti per modum priuationis, quatenus ametriæ sunt; attamen nulla species morbi mediocritati seu sanitati est contraria, sed opposito lapsui. Atque hinc patet qua ratione morbi curentur contrariis; & vt morbo vni non sint contraria duo. Ex quibus omnibus rectè, ni fallor, sequitur sanitati nullum relinqui contagij locum. Quod si illud etiam in continuis corporibus spectare velis, quis vmquam vidit membrum traducere ad se valetudinem proximi? An non potiùs sanum ægro compatitur? Equidem prorsus mirandum est, quanta mor-

bis fœcunditas ſit conceſſa, quam tamen cæteris ferè monſtris natura ſolet denegare. Sed fortaſſis ne tibi otioſa videretur ſanitas, mouit te Dauidis hiſtoria cap. 1. 3. Regum, vbi ipſe ſenex admodum non aliter potuit refocillari quàm accubitu formoſæ adoleſcentulæ Abiſag Sunamitidis quæ in ſinu Regis dormiit. Quin cõſentire videtur Galenus 7. meth. vbi ad imbecillitatẽ frigidi, & ſicci ventriculi commendat puellum boni habitus vnà ita cubantem vt ſemper abdomen contingat. Sic etiam caniculorum accubitum ægris præſcribit Aëtius tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 179. Verùm aliud eſt patibilem qualitatem cõmunicari, aliud affectionem; aliud, inquam, calorem cõferri, aliud ſanitatem, cuius quidem Medicus quantumuis ſanus cauſa eſſe nequit phyſica, ſed tantùm moralis & dianoëtica, niſi forſan contactu pluſ-

Huc etiam pertinere videtur Eliſei hiſtoria puerũ reſuſcitãtis cap. 4. l. 4. Reg. non enim mortuum, ſed animo lictum interpretatur Valleſius c. 35. lib. de ſacra philoſ.

quam mathematico. Difficilis est ad ſanitatem tranſitus, ad morbum lubricus lapſus; hic quippe vnius actionis læſione definitur, ſanitas omniũ perfectione: bonũ ex integrâ causâ, malum ex quouis defectu.

RESVMPTA III.

An Hippocrates & Galenus aſtrologiam vſui medico neceſſariam docuerint aut commendarint?

INTER diſciplinas nulla eſt præſtantior Aſtronomiâ & medicis cognitu vtilior, quæ ſingulos ſyderum motus ſpeculatur atque docet,

Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primis, Ouid. 1. faſt.
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Poſt illam vanâ hominum temerita-

te, ſuborta eſt, ne dicã aborta, Aſtrologia quæ eorumdem virtutes latentes (ſi ita Diis placet) explicat. *Cælum ipſum petimus ſtulticiâ*, quicumque tantum de nobis ſumimus: Tu, inquam, (docte Bacc.) qui aſtrorum cæcos afflatus veluti radio demonſtrandos hodie recipis, dum proximas morborũ cauſas ex cœleſti themate repetendas proponis: illinc plethorã & cacochymiã deriuas; illinc ſigna critica & peptica potiuſquam ex vrinis, ad prognoſim inſtituendam eruis; illinc remediorum ad therapiam indicationes, eorúmque exhibendorum tempus, inſtituis: Quin etiam ingerendi cibi horas ex Ephemeride mathematicâ obſeruandas ſerio aſſeris, quidni & egerendi? vno verbo totam medicinæ faciendæ rationem ad Chaldæorum ſcientiam & Babylonios numeros reuocas, atque diuinam artem inani ac proſcriptæ mari-

Horat. od. 3. lib. 1.

tas. Quod quam rectè, alij viderint. Hoc vnũ me malè habet quòd summum Hipp. & Galenum, tam infœlici connubio subscribentes tacitè inducis; dum ais, temporum μεταβολαὶ vndenam repetendæ? vnde criseôn terminus nisi à Lunâ? quasi dicas Hippocratem, dum Medico temporum mutationes obseruandas pręcipit; nec non Galenum, dum criseôn causam Lunæ imputat; Astrologiam vsui medico necessariam insinuasse. At certè quantum hoc abfuerit ab illorum mente & cõsilio nunc paucis accipe, modò me suo influxu recreet faustum sydus, cuius tu παρήλιος in hoc medico cœlo luces, & vim atque virtutem refers, affuerintque cæteri, &c.

Insignes aëris mutationes, siue contingant alternâ eáque statâ temporum vicissitudine, & quasi successione, siue eorumdem inæqualitate μεταβολαὶ τῶν ὡρέων, καὶ ἐν τῇσιν

ὥρησιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαί.

& insolenti alteratione; bifariam considerari debent, ni. vel quatenus à causis superioribus excitantur ac veluti aguntur, vel quatenus in hæc inferiora agunt variásque corporibus inducunt mutationes: atque hoc quidem modo fateor esse medicæ considerationis, sed ad meteorologiam potiùs quàm Astrologiam petinentis. Priori verò etsi eiusmodi speculatio Physici potiùs sit quàm medici; tamen cùm τῶν ἰατρῶν οἱ φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, ἐκ τῶν περὶ φύσεως ἄρχονται περὶ ἰατρικῆς, vt loquitur Arist. cap. 1. de sensu & sensili, cúmque medicina ita physicæ scientiæ sit affinis, vt altera alterius consortio non parùm illustretur, καὶ γὰρ τῶν τε ἰατρῶν ὅσοι κομψοὶ ἢ περίεργοι, λέγουσι τὰ περὶ φύσεως, καὶ τὰς ἀρχὰς ἐκεῖθεν ἀξιοῦσι λαμβάνειν· καὶ τῶν περὶ φύσεως πραγματευθέντων οἱ χαριέστατοι σχεδὸν τελευτῶσιν εἰς τὰς ἀρχὰς τὰς ἰατρικάς, inquit idẽ

Hìc obiter nota vt Arist. simile epithetũ philosophis & medicis tribuat, imò idem, hos enim & χαρίεντας appellat, hoc est, politos & elegãtes. cap. vlt. lib. 1. Ethicor. ad Nicom.

cap. poſtr. libri de Reſpiratione: vehementer non repugnabo eam in medicinæ cenſum referre, atque ad theoriam reuocare. Vnde igitur tēporum μεταβολαί? Numquam Hippocrates aliam cauſam attulit præter varium ſyderum ortum & occaſum, eorumdémque acceſſum & receſſum, vno verbo præter motum, qui ciet cauſas vniuerſales eiuſmodi mutationum: ita vt lib. de aëre, locis, & aquis, aliiſque libris in quibus de his mētionem facit, minimè Aſtrologus fuerit Hippocrates, ſed tantū Aſtronomus. Et certè Ariſtoteles qui & genus & doctrinam ab Hipp. traxit, de his non aliter philoſophatus eſt, vt apud eruditos quoſque pro confeſſo habetur: Verùm hanc partem aliis agitandam relinquo. Mihi nunc ſufficit demōſtraſſe obſeruatas apud Hipp. temporum mutationes Aſtrologiæ iudiciariæ nullatenus patroci-

nari. Dicam amplius eam nedum ipsi notam fuisse, quippe quæ eius temporibus nondũ ex Ægypto in Græciam fuerat illata, vt ex historiis probatissimis contendit doctiss. Erastus in epistolis aduersus Stahmionem. Solam igitur Astronomiam & nouit, & commendauit Hippocrates, dum temporum mutationes Medico obseruandas toties præcipit, quarum causam aliquando expedit præuidere. Quamquam tamen in medicinâ faciendâ vix eius rationem habuisse comperitur, quippe qui nec in Epidemiis, nec in aliis libris ad curationem pertinentibus, cœli sed tantùm aëris constitutionem proponat: Et si quando syderis alicuius mentionem facit, illud apponit non tam vt causa, quàm vt signum talis tempestatis. Quemadmodum enim gnomon in horologio signum est horarum; sic etiam in toto cœlo velut Chronolo-

gio astra sunt signa temporum. Audi Galenum in particulam primam lib. 1. Epid. vbi postquam astronomica quædam illic posita exposuit, hæc ait. *Hæc itaque semel à me dicta ad omnem sequentem orationem memoria teneantur, vt facilè ad singularum nationum menses qui alij aliis sunt, transire valeamus. Nam si omnes eosdem haberent, non Arcturi Vergiliarúmque & Canis, & Æquinoctiorum, & Solstitiorum meminisset Hippocrates: sed dicere ipsi satis fuisset, apud Macedonas v. g. mense incipiente quem Dion appellant, talem quendam statum fuisse in ambientis nos aëris temperamento. Nunc verò quoniam Dion solis quidem Macedonibus manifestum sit, Atheniensibus verò aliisque hominibus non manifestum, volueritq; Hippocrates nationibus prodesse omnibus, satius ipsi fuit nullo memorato mense, solum scribere æquinoctium. Nempe æquinoctium vniuersitatis quæ-*

dam res est: Menses verò singulis nationibus sui & peculiares. Qui ergo Astronomiæ est imperitus, sciat Hippocrati non parere, qui ad eam ob dictorũ vsum cohortatur. Vides quàm clarè ac dilucidè suam, & Præceptoris mentem de istis aperiat Galenus. Esto cœlum medenti, quod nauclero pixis nautica: vt hæc cursus, sic illud temporum periodos vbicumque locorum certò designat ac definit: quæ si aliunde nobis innotuerint, nihil tum magis iuuat, quàm notâ viarum regione pixis nautica. Sed vt ad Galenum redeamus. Ille vix vnquã Astrologiæ meminit (si libros spurios excipiamus) præterquam 3. de diebus decretoriis: Quâ autem mente hunc librum conscripserit, ab eodem accipe. Is cap. 10. eiusdem libri solemni excusatione vtitur, & deos aduocat testes, quòd illum non nisi paucis quibusdam amicis cogentibus scri-

pſerit, quaſi ex neceſſitate potiùs quã ex voluntate; aut certè πολυμαθίας magis oſtentandæ, quàm medicinæ faciendæ gratiâ. Quod vt verum ſit, hinc intelliges. Cõqueritur ipſe non vno in loco, quod in prognoſticis pro vate & Aſtrologo ab aduerſariis traduceretur. Et ne ſim longior, inter multa vnicum ex cap. 3. lib. de præcognit. ad Poſthumum, teſtimonium huc adducam, vbi de Martiano Medico loquens, ita ſcribit. *At adeo non ex medicâ facultate, verùm ex diuinatricibus ſciẽtijs prædictiones meas fuiſſe calumniabatur* (διέβαλε,) *interrogatúſque à quibuſdam quaſnam diuinatrices ſcientias diceret, interdum augurium, interdum extiſpicium, nonnumquam coniectatricem, aliquando mathematicam reſpondebat.* Ac ne iterum ad tertium de diebus decret. prouoces, non pigebit referre quæ ipſemet comment. in aph. 36. ſect. 4. expreſſis verbis af-

firmat, vbi poſtquam cauſas dierum criticorum per ocium inquirendas eſſe dixit, ſubdit, *Nam differentias in duobus prioribus commentarijs ad artem neceſſarias explicauimus, & in tertio eorum cauſas tentauimus exquirere.* Quibus verbis declarat duos tantũ priores libros ad artis vſum & doctrinam neceſſarios, tertium verò diſputandi ſolùm gratiâ, atque vt iam dixi, præter voluntatem abs ſe eſſe conſcriptum: Et certè cùm duos priores paſſim citet in prognoſticis aliiſque ad vſum pertinentibus libris, nullibi de tertio mentionem facit, vt annotauit ibid. Eraſtus. Ex quibus, ni fallor, manifeſtum euadit Hippocratem numquam Aſtrologiam docuiſſe, aut commendaſſe, nec Galenum vſui medico neceſſariam iudicaſſe, imò eam otioſis potiùs quàm occupatis medicis ſpectandam reliquiſſe.

RESVMPTA IIII.

An nulli sint admittendi formæ morbi?

FOrtes creantur fortibus: & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum Horat od. 4. lib. 4.
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborat.
Sentimus, ecquid mens, ecquid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Poßit.

Hinc fit vt tu (egregie Bazine) aucta domestico cultu naturæ fœlicitate, in ipso pubertatis flore, maturos vernantis ingenij fructus proferas, annósque & barbam scientiâ, atque sapientiâ anteuertas. Repubescit pater in filio, & reuiuiscit auus in nepote, qui Apolline tam propitio natus

es, vt cum ingenio consummatam vtriusque doctrinam veluti per traducem accepisse videaris: Transiit in te totus tantorum virorum genius in paruo corpore maximus, & primâ ætate adultus. Ac ne longam gestorum seriem percurram, habeo & in oculis & in manibus luculentum raræ istius eruditionis tuæ testimoniũ, alteram (inquam) thesim tuam, in quâ ita scitè & appositè medica connectuntur theoremata, vt in ea omnes scientiæ & elegãtiæ atomos concurrisse putẽ. Neque profectò quicquam grauius mihi vmquam contigit, quàm vt inter tam ratas tuæ theseos sententias aliquam seligerem nunc oppugnandam, ac veluti nodum in scirpo quærerem. Quando tamen id mihi ex officio incumbit vnam delibabo: Impetratâ priùs beneuolentiâ sapientiss. huius actus moderatoris, &c.

Primo tuo coroll. dum primam morborum diuiſionem apponis, tres tantùm eorum differentias conſtituis, *prætermiſsis materiæ & formæ affectibus*. Ego verò admittendos eſſe formæ morbos, velut genus à cæteris diſtinctum, non tam ex Fernelij mente quàm Galeni, ſic demonſtro. Cùm morbus opponatur ſanitati vt ἄμετρον τῷ συμμέτρῳ, & id quod eſt præter naturam, ei quod eſt ſecundum: Quotuplex erit naturalis conſtitutio, totuplex erit morbus ſeu receſſus ab eadem. At partium ſimilariũ naturalis conſtitutio non tantũ conſiſtit in prima & συμμέτρα ex elementis compoſitione, ſed etiam in peculiari qualitatum latentium, & à formâ ſpecificâ manantium conditione. Cùm enim corpus humanum nedum ſit miſtum ſimpliciter, ſed viuens & animatum, atque habeat calorem vitalem, ſpiritus viuificos, hu-

midúmque radicale, atque formam à quâ animatur, & plurimæ egregiæ qualitates deriuantur, quæ in miſtis ſimpliciter non inueniuntur; meritò non ſolùm in qualitatum primarum ſymmetriâ ſanitas partium ſimilarium ponenda: ſed & iſtarum qualitatum ſecreta requiritur conſtitutio, quæ cùm primò vitiari poſſit, etiam ſaluâ miſti temperie; neceſſariò aliud morbi genus ſtatuendum eſt, quem morbum formæ ſeu totius ſubſtantiæ appello, quod in eo qualitates illæ vitales à formâ proximè manantes primò, & per ſe alterentur. Idipſum quotidiana confirmat experientia: ſiquidem ſæpius cernuntur actiones læſæ quæ ad nullum morbum vulgò notum, neque ad errorem externum referri poſſunt, vt tum ex aliis tum ex venenis notiſſimum; quibus proinde non manifeſtè, ſed occultè & totâ ſubſtantiâ agentibus

remediis seu alexiteriis opitulari solent longo rerum vsu prudentiores facti medici: cuiusmodi plurima inuenta sunt, atque etiam à Galeno eo nomine commendata, vt norunt omnes qui ipsius monumenta sedulò euoluunt. At verò nisi darentur morbi aliqui occulti, vt ait Argenterius, frustra inuenta essent & laudata remedia totâ substantiâ agentia: Quid enim opus esset medicamenta vsurpare quæ nulli morbo essent cõtraria? Eadem ratio est causarum morbificarum totius sũbstãtiæ contrarietate nocẽtium. Cùm enim omnis actio sit inter contraria, quæ sub eodem genere comprehenduntur: cúmque agentia dentur à totâ substantiâ quę in corpus nostrum agunt morbósque inducunt: Certè non qualitates primas mistique temperamentum oppugnabunt, sed occultum quid efficiẽt & suæ naturæ con-

Vide infra Resumptâ 9.

generes, & respondentes morbos excitabunt. Multi hoc argumentum eludere conantur, sed frustrà. Neque enim negari potest dari eiusmodi agentia corpus nostrum afficientia, quæ nec Galeno fuerunt ignota qui lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 18. ita scribit. *Sunt quæ totâ substantiâ nobis sunt contraria: Proinde si vel eorum minimum assumptum fuerit, omnino lædat necesse est, ceu dryopteris, pityocampe, & thapsia, & solanum manicum, & hydrargyros, & fungorum nonnulli, præterea saliua & fel venenatorum animalium. Nam talia omnia* (inquit) *genere sunt deleteria non quantitate.* Et 3. de temperam. expressis verbis ait, *nequaquam sic* (scil. eo modo quo elementa agunt) *iudicanda deleteria sunt; imò totius naturæ suæ contrarietate.* Huius malignæ διαθέσεως idem quoque meminit lib. 1. de semine cap. 16. his verbis, *minima portiuncula humoris letha-*

lium venenorum quæ δηλητήρια appellantur, vbi animalis corpus ingreſſa fuerit, tota id momento temporis immutat, ſibique ſimili affectione alterat. Quod & alibi paſſim docet: Cui & Auicennas cæterique Arabum, Græcorum & Latinorum primipili medici ſubſcribunt. Quæ cùm ita ſint, cúmq; omne agens vt agit conetur ſibi aſſimilare patiens, congeneréſque qualitates, quàm maximè poteſt, in ipſum inducat: Quidni δηλητήρια eiuſmodi ſibi ſimilé, in corpore in quod agunt, diſpoſitionem excitabunt? Qui prius admittit, poſterius negare non poteſt, quin recepta omnia ſanioris philoſophiæ fundaméta ſubuertat. Tuũ eſt (erudite Baccal.) iſta perpendere, & ad iudicij tui lydium veluti lapidem explorare, num verè concludam alios adhuc præter notos intemperiei, in partibus ſimilaribus morbos dari, quocumque tandem nomine

vocentur, siue formæ, siue totius substantiæ.

RESVMPTA V.

An in Scorbuto μοχλικὰ καθαρτικὰ fugienda?

ROMANVS Hippocrates Celsus, hoc rationales medicos præstare Empiricis scribit, quòd illi nouos morbos possint curare, hi minimè. Hac, opinor, causâ scorbutici morbi nobis ante hac ignoti & inuisi curationem hodie proponis (Guillelme Guerine, neque enim sine fato magnum iam Musisque charũ Guillelmorum nomen auxisti) vt nimirùm totum te dogmaticum rationalémque medicũ profitearis. Tantâ porro diligentiâ illius peregrini affectus causas, signa, symptomata &

Vide Budæi Epistolam & ad Budæum Erasmi, quæ sunt 20 circiter epistolis ante finem lib. 1. ep. Erasm.

remedia proſequutus es, vt potiores te tuoq; ſapientiſſ. Præſide medicos maris Balthici accolæ non poſſint inuocare. Nominis nouitas potiùs quàm rei nobis demùm tuo beneficio non imponet, qui totam eius naturam & ideam πολύμορφον, vix ab aliis integris libris, pluribus epiſtolis, centuriis & commentationibus, comprehenſam, breuibus quinque corollariis concluſeris. Ex quibus intelligimus *magnos Hippocratis lienes* & εἴλεον αἱματίτην, 2. de morbis internis; Galeni *vitiliginem nigram* 3. de ſympt. cauſis cap. 2. Pauli Æginetæ *ſcirrhoſum lienem* lib. 3. cap. 49. Plinij *ſceletyrben & ſtomacacen* 25. natur. hiſt. cap. 3. Strabonis στομακάκκην lib. 16. geograph. ſub finem; Et Marcelli apud Iunium in nomenclator. *oſcedinem*; Tot, inquam, morbos & ſymptomata in vnum quaſi conſpiraſſe & vniuerſam Septemtrionalem pla-

gam populari. Quibus certè omnibus, vt dicam quod ſentio, poſt aëris victúſque mutationem in omnibus endemiis morbis apprimè vtilem & conducibilem, non ſatis firmum præſidium videris oppoſuiſſe blandam per ἐπίκρασιν purgationem, reiectis interim omnibus vehementioribus pharmacis: quaſi verò huic depaſcenti feræ palpandum eſſet, & ex inſidiis tantùm obſiſtendum. An putas eam mitioribus vinci poſſe, quæ vix fortioribus cedit? Pigmæum cum Hydrâ componis, cùm tamen hîc Herculis clauâ, & quaſi vecte mochlicíſque machinis vſus ſit. Quod iam ego, ne nihil agere videar, paucis & citra στομαχάκην recipio demonſtrandum, ſi licuerit per ſapientiſſ. &c.

Cùm ſua morbis omnibus cathartica indicentur à propriâ vniuſcuiuſque cacochymiâ, hîc in primis vi-

dendum cuiuſmodi illa ſit. Sennertus cuius iudicium eruditi quiq; magni faciunt, & doctrinam admirantur, à quo tu proinde meritò in iſta tua theſi non receſſiſti, chronici nec non grauiſſimi huius affectus cauſam antecedentem ponit melancholici humoris eiúſque impuri, fœculenti & tartarei colluuiem, aëris & victus culpâ, aut hepatis lieniſque vitio ſoboleſcentem; atque procedẽte morbo in vaſa maiora totúmque corpus ſeſe diffundentem; vnde verſicolores tibiarũ maculæ; vlcera telephia; gingiuarum tumor, eroſio, fœtor; & plerumq; tota cutis colore atro ſuffuſa; cæteráque ſymptomata emergunt quæ hunc affectum à cæteris diſtinguunt: Ita tamen vt morbi radix ſemper ſit in ipſis viſceribus nutritiis, meſenterio, totáque primâ corporis regione, vbi reſtagnans colluuies ἀῤῥήτῳ & peculiari modo cor-

rumpitur, fitque ſcorbuti cauſa proxima. Hinc ille propria ei præſidia opponit quæ vocat *antiſcorbutica*, & prætereà alia cæteris morbis à melancholico ſucco profectis communia tam alterantia quàm purgantia, de quibus ego nunc tãdem compendiariò tranſigam, cuiuſmodi illa eſſe oporteat, ex mente Hippocratis atque Galeni. Effatum eſt Hippocratis aph. 9. ſect. 4. τὺς δὲ μελαγχολικὺς φαρμακεύειν ἁδροτέρως τὰς κάτω. i. melancholicos per inferiora purgare oportet *ſeriò, vehementer*, ἁδροτέρως. i. σφοδρῶς, vt ibi interpretatur Gal. Eos verò melancholicos potiſſimùm intelligit quibus hypochondria ſunt obſita nigro & fœculento humore. Talium enim ſic comparata eſt ratio complexionis atque humoris, vt cũ purgare conſilium eſt, pharmacum debeat eſſe μοχλικὸν, inquit doctiſſ. Duretus in Coac. cuiuſmodi ſolet

præſcribi ad morbos qui humoris morbifici contumaciâ in vetuſtatem inciderunt. Sic elleboriſmum commendat Hippocrates quando, vt notat Gal. τὸ πάθος χρόνιόν ἐστι, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις μοχλείας δεόμενον. i. *diuturna eſt paſſio, & velut vecte indigens*, quando, inquam ego, ita lentus eſt tardus atque incuneatus humor morbificus, vt nõ niſi vehementi medicamento quaſi vecte moueri poſſit & extrudi. Sed & alia quoque ratio eſt cur ſeriò καὶ ἁδροτέρως purgandum ſit in melancholicis & chronicis morbis, quoniam videlicet in illis nullæ ſunt expectandæ criſes κατ' ἔκκρισιν ἢ κατ' ἀπόθεσιν. Quò fit vt omnis ſpes medici & curationis fiducia poſita ſit in purgatione, morbi contumaciæ reſpondente, quæ ſi alioquin leuior fuerit, mouebit quidem, ſed nihil promouebit, & licet ſæpius repetita, ægrũ nihilominus irrita fatigabit, neque

quicquam leuabit. Debet enim remedium non tantùm in genere, ſed & quantum fieri poteſt in gradu cõtrarium morbo opponi; quod vt in alterantibus verum eſt, ſic & in purgantibus medicamentis; craſſo quippe & lento humori mochlicum conuenit catharticum; tenui, mobili & fluxili, leue. Quare, vt totum reſumam argumentum, cùm ſcorbuti cauſa antecedens & purgationem indicans ſit humor craſſus, melancholicus & tartareus, ex conceſſis: Mochlica & vehementia cathartica illi educẽdo maximè competent. Quod ſi tamen vires illa diſſuadent, non repugnabo partitis vicibus id conari, quod vnâ & iuſtâ doſi ſine periculo fieri non poteſt. Eſto ſane in hac interpoli arte, vt eſt in cæteris, vſus optimus magiſter atque, vt ait Plinius, *efficaciſſimus*. Neque enim is ſum qui contra vſum & experientiam ſo-

Lib. 26. natur. hiſt. cap. 2.

phiſtarum more pugnare velim ad verba garrulitatémque deſcendens, tecum præſertim cui cum Neoptolemo placet *paucis philoſophari*; cuique *gratius eſt ire per ſolitudines & quærere herbas alias aliis diebus anni*, quàm *cum Herophili ſectatoribus in ſcholis, auditioni & diſputationi operatum ſedere.* Plinius ibid.

RESVMPTA VI.

Strenæ ſtrenuo Baccalaureo Petro Hommetio dictæ poſtridie Kalendas anni 1630.

LICEAT mihi (Erudite Baccalauree) in hoc anni redeuntis exordio εὐφημεῖν ἀντὶ τοῦ ἐλέγχειν, tibique pro threnis ſtrenam offerre, hoc eſt, pro moroſâ diſputatione, fœlicem ominari annum, quem tu ſub

sapientissimo Præside tam strenuè auspicaris.

Prospera lux orta est: faustæ venere Kalendæ:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, consuetáque protinus absint
Dissidia, vt pacem Ianus vbique ferat.

Nunc igitur (docte Hommeti) sepositâ omni disputãdi ambitione, paucis te affari decreui, tibique ex prisco more strenã Kalendariam dare tamquam tesseram atque indicem mutuæ voluntatis. Sed ne seram & postridianam repudies, hoc in primis monebo non tantùm alterum hunc anni ineuntis diem strenarum nomine fuisse solennem, sed & sequentes vsque ad Nonas apud Libaniũ, imò totum mensem apud Suet. in Tiber. Quare etiamnum *sat citò fuerit, si*

bene sat. Iam itaque ego non pugillaria, non caricas, non palmulas seu caryotas auro illitas, non mellis fauum, aut eiusmodi alia dulcioris saliuæ affero, quæ antiqui Kalendis nouis, veluti Saturnalibus xenia & apophoreta, mutitare solebant, nimirũ

Vt res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

Multò minùs inuidenda magnatum munera, luxus potiùs quàm grati animi indicia, quibus & accipientis pudor, & dantis census plerumque oneratur. Sed en tibi bona verba antiquo, nec tamen obsoleto strenarum nomine inuoluta. Siquidẽ vox græca στρῆνος *delicias, valetudinem, & hilaritatem* denotat, vnde στρῆναι & στρηνιᾶν: Quòd quidem etiam à Latinis vsurpatum est, nam *strenuare* dixit Plautus in Pseudolo, quòd est viri fortis, strenui ac opulenti, vultum vocesque imitari. Non igitur abs re stre-

Ex Theodoro Marcilio in hist. stren.

narum nomine tibi gratulari videor, & delicias, valetudinem atque hilaritatem comprecari, adeò vt hoc veluti terno munere lõgum vitæ ſine offenſione curſum ominer; ſitque tibi *ſtrena* quaſi *terna*, quemadmodum Verrius apud Feſtum interpretatur. Rectiùs tamen ſentire ſimul & ſtrenarum originem docere videtur diſertiſſimus ille Symmachus vrbi præfectus, qui Valentiniano, Theodoſio & Arcadio Auggg. ſcribens epiſt. 28. lib. 10. ſtrenarum nomen & originem repetit à Deâ Streniâ vel Strenuâ, * ex cuius luco ait Tatium Regem Romuli ſocium & participem Kalendis Martiis, à quibus ni. annum Romani tum auſpicabantur, ramos fœlicis arboris noui anni auſpices primum defregiſſe. Et hæc quidem ita ad præſens inſtitutum appoſitè, vt ipſius verba nunc in te maximè velim vſurpare. *Nomen* (inquit) *in-*

* Huius ſacellum in 4. vrbis regione eſt apud P. Victorem.

dicio est viris strenuis hæc conuenire ob virtutem, atque ideo vobis eiusmodi insigne deberi, quorum diuinus animus magis testimonium vigilantiæ quàm omen expectat. Atque vt agnoscas quàm aptè in te cadant hæc verba Auggg. quondam scripta: fœlix illa arbor à Symmacho commemorata, Laurus intelligitur, vt inde fieri coniectura potest quòd Romani post Tatium ipsósque Reges exactos, etsi non Martij sed Ianuarij Kalendis annum inchoarent, ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τότε πρῶτον τὴν ἔνδοξον ϗ ἐνιαύσιον πορφύραν περιτιθῶνται, vt Herodiani verbis vtar, tamē ex prisco ritu eodem ipso ineuntis Martij die, velare semper soliti fuerint lauru ianuam Regis Sacrorum, & Flaminum, & templi Vestæ, & Curiæ Hostiliæ, vt antiquitatum Romanarū peritissimus in fastis annotauit Ouidius. Quin & illi ad quos post Iul. Cæsarem rerū summa dein-

Ἀρχαὶ ἐπώνυμοι Coss. quibus anni cognomines in fastis, ex Th. Marcilio.

Lib. 3. & Plin. cap. postr. l. 15.

de delata eſt, poſtes ſuos etiam ipſi lauro eodem caſtu velarunt, apud Suetonium; quòd & fecerunt poſtea priuati quique apud Libanium Sophiſtam. Quòd cùm ita vſurpatum fuerit & in more poſitum, quidni tibi ſtrenuo medicinæ *Baccalaureo* hoc ſolenni die *baccatum lauri ſurculum*, *ſeu baccaliam laurum* noui fauſtique anni auſpicem offeram? quâ non tantùm victoria tibi & fœlicitas optatur, ſpecie lauri ſemper in Parnaſſo virentis & Apollini dicatæ, vt eſt apud Plinium; ſed etiam quâ morbos tum corporis tum animi ſingulari antipathiâ fuges & auertas:

De baccalia lauro Plin. ib.

Principio lib. 11,

Illa enim, vt Caſſianus Baſſus teſtatur in Geoponicis, vbicumque adfixa eſt vel repoſita, ibi neque Comitialis morbus, neque Lymphaticus, homines corripere poteſt, λέγουσι δὲ (inquit) καὶ τοῦτο περὶ δάφνης, ὅτι ὑγιείας ἐργαστικόν ἐστιν. ὅθεν δὲ φύλλα αὐ-

τῆς ἐπεδίδοντο τοῖς ἄρχουσι παρὰ τοῦ δήμου τῇ πρώτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνός, καὶ ἰσχάδες· οὐδὲ γὰρ ἡ ἱερὰ νόσος, ἢ δαίμων παρενοχλεῖ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ δάφνη ἐστίν. Tandem igitur (Laureate Baccalauree) gaude quẽadmodum ille apud Plautum, *quòd bona scæua strenáque obuiam occeßit tibi,* & tot omina *strenarum* nomine fœliciter concepta accipe, diúque his fruere votis, quæ, vt rata fiant & perpetua, sacro oraculo obfirmo atque concludo. In Sticho sc. saluete.

Benedices Domine *coronæ anni benignitatis tuæ.* Psal. 64.

HInc ego alteram thesim quodlibetariam proposui, pathologicam, omniúmque tertiam & postremam, in qua quærebatur, an à focorum situ febrium periodi? Cuius quidem opinionis primus auctor fuit, edito eleganti *de febribus intermittentibus* libello, Franciscus Perrellus medicus quondam clariss. Iacobi sapientissimi istius actus meorúmque omnium studiorum rectoris pater, cuius fœlicibus auspiciis & optatissimo moderamine, hanc thesim propugnaui aduersus velitantes pro more Baccalaureos Commilitones meos lectissimos, (& oppugnantes grauissimos Doctores, frequenti omnium consessu, faustóque applausu. De hac eâdem quæstione resumptam habui, quæ est infrà duodecima & vltima, quæque non parùm facit ad huius theseos intelligentiam.

QVÆSTIO MEDICA
quodlibetariis disputationibus mane agitata in scholis Medicorum, &c.

M. IACOBO PERRELLO Doctore Medico Moderatore.

An à focorum situ febrium periodi?

I.

VNIVERSI gubernatrix natura ordinem nisi coacta non deserit. Lucet ille sempiternus & immutabilis in cœlo ac elementis. Multiplices orbium cœlestium conuersiones, syderúmque antecessiones, statis distinguuntur periodis. Nulli sunt (si verum amamus) planetæ; omnes composito feruntur cursu, non vago aut incerto. Singulis suus

est proprius motus, Lunę menstruus, annuus Soli, diurno eique primo & communi neutiquam contrarius: Hic rectus sibique semper constans perpetuitatis causa est: ille obliquus & æquabiliter inæqualis, nunc generationis, nunc corruptionis auctor, annum reciprocâ quatuor tempestatum successione ita temperat, vt vbique lumen, quemadmodum in plagis temperatis calorem, æquis vicibus diuidat. Nec alio afflatu cœlestium corporum vis in hæc inferiora deriuatur, quàm vtroque isto motu & lumine. Hinc ἅπας χρόνος καὶ βίος μετρεῖται περιόδῳ, πάντων γὰρ ἐστὶ τάξις. Elementa suis gaudent legibus, ac veluti στοιχεῖ στοιχεῖα. Periodicus est πλημμυρώδης æstus καὶ ἀμπώτιδος, semestris, mensurnus, diurnus: quin & decumanus fluctus, maior, periculosior. Plura in homine obseruantur certis adstricta temporum articulis. Conceptio,

Ex Arist. ca 10. lib. 2. de ortu.

conformatio, partus, ætas; horarũ, dierum, menſium, annorum ſeptenariis diſpenſantur. Nec abs re multorum clade infames metuuntur illi Chaldæorum Climacterici, vitâ iiſdem numeris oriente & occidente, non illis quidem agentibus, ſed circumſcripto naturæ impetu.

II.

IS eſt naturæ tenor, quem illa, vel oblæſa, mirabili conſtantiâ ſeruat. Arteriarum ἄρσιν καὶ θέσιν, etiam in arhythmis rhythmicã obſeruãt medici muſici. Morbi quoque ſuos habent circuitus, ſuáque temporum momenta, ac febres maximè, quæ ab humoribus excitatæ, aliarũ more in corde, ceu primario ſubiecto, ipſius tum paſſione, tum actione, præter naturam accenduntur. Cuiuſmodi ratione motus diuiduntur in ſumma duo genera, aſſiduarum, & intermittentium: in aſſiduis ſingularis iſ-

queperobſcurus dierum κρισίμων ordo notatur: In intermittentibus, paroxyſmorum, qui, etiamſi plures, vnicum tamen conſtituunt morbum. Illæ rurſus ſunt vel συνεχεῖς vel συνόχοι (inducto à recẽtioribus medicis nomine:) Hæ triplicis ſunt ſpeciei; quotidianæ, tertianæ, quartanæ; nullæ quintanæ, ſeptimanæ, nonanæ, exquiſitæ. Singulæ vel ſimplices vel cõpoſitæ. Omnes homini ita familiares vt raro alia animantia iis tententur, ne quem cũ Archelao * decipiat calidus caprarum halitus, aut cum Phile * frequens leonum faſtidium. Hoc pretio emitur rationis & intellectus principatus, cuius gratiâ cerebrum homini ampliſſimum datum fuit (quæ maxima eſt & forte ſola fabricæ humanæ à reliquis differentia) à quo plurimi ſpiritus affatim ſuppeditarentur: vnde longè maior quàm in brutis exigitur ſanguinis

* Ex Plin. cap. 50. lib. 8.

* Et cuius auctoritate vulgò creduntur leones febre quartanâ perpetuò laborare.

copia cibique vbertas, & vaſorum apparatus operoſior; Ex quibus feruores, obſtructiones, putredines, ac ſubinde febres creberrimè ſuſcitantur. Nec aliunde fit ſolum animal menſtruale mulier, quidni & Lunare?

III.

IN febribus intermittentibus præ cæteris obſeruantur periodi atque typi: Periodus eſt ſimilis ratúſque ad idem recurſus, ſeu ſpatium ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως. Typus vtriúſque ordo & proportio, nunc προσληπτικὸς, nunc ὑστερητικὸς, nunc ἐστώς. Hîc mens ſtupet, quæ generationis excrementorum & excretionis cauſam ignorat. Fruſtrà Mathematicorum cœlum conſulitur. Temerè materiæ febrili agẽdi ratio tribuitur. Febrem non periodum quotidianam pituita committit, ſicut nec tertianam bilis flaua, aut quartanam nigra. Neque tam materiâ quàm loco iſtiuſmodi * fe-

* Nõ quatenus febres, ſed quatenus tertianæ, quartanæ, &c.

* Vide Riolanum general. meth. l. 1. sect. 3. cap. de specie morbi.

bres, vt & plerique morbi*, inter se differunt: Sed aliquando alter est locus in quo ipsa generatur, & alter in quo recipitur: huius potissimùm ratione intermittentes distinguuntur à continuis, eadem quippe stabulante materiâ extra vel intra vasa maiora: alterius in periodorum diuersitate potior esse debet consideratio, pro cuius nimirum diuerso situ distinctis temporum spatiis reparatur humor paroxysmum inducens. Quod si alteruter multiplex fuerit, tum febriũ κρᾶσις ἢ ἐπιπλοκὴ continget. Constat τοὺς ἀμφημερινοὺς, οὐδὲ χωρὶς τοῦ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς πεπονθέναι, συνίστασθαι, καθάπερ τοὺς τεταρταίους περὶ σπλῆνι κακοπραγοῦντι, τοὺς δὲ τριταίους περὶ ἥπατι. Inde prima mali labes. Ventriculus pituitæ fons & scatebra, hepar bilis, lien humoris nigri, tum propriarum febrium fomites existunt & foci, cùm aut propter ἀσθένειαν, aut relictum in ipsis, vel

circumfusis partibus fermentum & ϖειτλωμα σηπεδονῶδες nouæ excremẽtorum generationi indulgent. Hinc bellum, induciæ, pax nulla.

IV.

Alimentum corpori sua parit commoda & incommoda: illic vires, hîc morbum fouet, eique tam instaurando quàm generando materiam subministrat. Nec aliunde noua excrementi collectio repeti debet quàm ex alimenti appulsu, quod vbi debilitas subest, vel ἐμπύρευμα partis suscipientis, maiore sui portione corrumpitur, fitque exacerbationum atque accessionum causa continens: Ita vt distincta febrium interualla respondeant certis nutritiarum partium ceu focorum temporibus in eo attrahendo, retinendo, coquendo atque expellendo. Ventriculus tanquã in vestibulo corporis collocatus, primus horis ferè septem eiusmodi mu-

nia abſoluit: Hepar præter obiectá ſuperioris viſceris moram, ob anguſtos viarum receſſus, tempus multò longius explet: omnium remotiſſimus lien, quaſi νόθον ἧπαρ, illud adhuc protrahit, tantò magis quantò fluentis illuc humoris pigritia maior. Prius ſpatium cum ſubſiciuâ τῶν ἀμφημερινῶν quiete numerò congruit. In tertianis atque quartanis eſcarum ad portas & lienem traiectionem earúmque confectionem, adeóque excrementi generationem ac collectionem, aliquandiu excedit febricitandi intercapedo, propter maiorem vtriuſque bilis ad putreſcendum ineptitudinem, paucioréſque fauillæ reliquias. Humoris putredini accedit motus, cui opponitur alter naturæ ſeſe aduerſus hoſtem colligentis, ac primò calorem cum vniuerſo ſpirituum exercitu intrò reuocantis: vnde extremarum partium frigus; atq;

etiam, ſi humor partes ſenſiles acriùs ferit, totius corporis rigor; ſin remiſſiùs, horror: quæ ſunt indiuidua harum febrium numquam lethalium ſigna, &, Hippocratis ætate, propria. Deinde vincente calore & quaſi è carcere prorumpente, micant arteria febre, æſtuátque totum corpus, donec abſumptâ vel excretâ materiâ ardor remittatur, deſinátque in ἀπυρεξίαν. Quod ſi nulla in parte & foco remanſerit labes, morbus cedit: aliàs excrementi copia qualitaſve expultricem ſollicitabit, eo planè circuitu, quo ipſum generatur.

V.

PORRO acceſſionum inæqualitas cõtingit pro diuerſa excrementorum multitudine & conditione. Plura, frigidiora, craſſiora, longiores committunt paroxyſmos, atque ad impuriorem integritatem deſinentes: pauciora, calidiora, tenuio-

ra, vehementiores ſed breuiores, conducente ad id non parùm totius corporis conſtitutione, viriúmque robore. Nonnumquam informes fiunt & erraticæ febres ob humoris focique permutationem, aut victus errorem: Sæpè tamen implexio circuitionum ipſis etiam medicis imponit. Ex antecedentibus & conſequentibus vniuſcuiuſque typus dignoſcendus: ex typo focus, ad quem præcipua curatio eſt dirigenda, auriganti-bus non Zodiaci ſed morbi ſignis, vt ipſe ſuo tandem indicio pereat. Inſanit cum Democrito* quiſquis quartanam Saturni filiam aliquo piaculari flagitio profligandam credit: Sacrum nihil habet febris quercera, niſi quod ignorantia miratur, ad cuius aſylum nimis multi confugiunt. Εὐρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον. Alij ſpecie recti decipiuntur: Errat ille ipſe qui *vitandorum errorum methodum* propo-

* Ex Hadriano Iu. cap. 11. 3. obſeruat.

Vide infra Reſumpt. 12.

proponit: præcordia in alimenti cōmeatu ſibi ſuccedunt, non in cordis viciniâ, à quo certè lien non magis diſſitus eſt quàm ventriculus. Grauiùs peccant qui humorum idiotropiæ vel proportioni proximam periodicorum circuituum cauſam imputant. Scopũ attigit qui ad focum attendit, ac ſubinde viarum ab ore ventriculi interſtitia ad amuſſim anatomicam diſtinxit: Galeno ſubſcribit quiſquis febrilium periodorum rationem hinc repetit. ὅσα μὲν ἐν περιόδοις τισὶ παροξύνεται νοσήματα, μορίων ἐπιγίγνεται διαθέσεσιν, ἤτοι πεμπόντων, ἢ δεχομένων, ἢ γεννώντων, ἢ ἑλκόντων περιττώματα. ὅσα δὲ δίχα περιόδων, οὐδεὶς ἐπὶ τούτων ὁ πεπονθὼς ἐστὶ τόπος ἐξαίρετος.

Ergo à focorum ſitu febrium periodi.

Proponebat Lutetiæ VICTOR PALLV Turonēſis, An. R. S. H. M. DC. XXX.

N

RESVMPTA VII.

Laudatur Langlæus Baccalaureus aduersus quem tamen Arabum Medicina exploditur.

VOCIS non minùs miranda eſt quàm frequens repercuſſio, quæ inſtar vndæ reciprocantis & in procurſu alliſæ, confectum remetitur iter, & obicis obiectu in ſe quaſi redit ac reſilit. Et licet fortaſſe nullus non reflectatur ſonus ſolidioris occurſu corporis, non tamen ſemper percipitur aut vocalis eſt Echo, niſi corporis cõcaui ad certum ſpatium oppoſitio collectam vocem ſiſtat, quámque non admittit, remittat. Non aliter (Erudite L.) nunc ego tibi oppoſitus, voces quas nouiſſimè in meis laudibus conſumpſiſti, reddo ac refero. Cùm enim illæ locũ in me nullum inuenerint, meritò in

te eædem resultant atque redũdant. Sed quemadmodum Echo imperfectas tantùm sententias recantat, & verba vltima quasi balbutiens aut blæsa reportat, vnde & ἄτυπος ab Aristophane appellatur; sic ego balbutiente linguâ concisè ea reponam quæ tu facunda oratione in me profudisti. Nihil igitur mihi debes (docte L.) sed eloquentiæ tuę ipsique veritati, quòd ego vnum te præ cæteris ingenij & doctrinæ laude præstantem extra ordinem prædicem, adeóque disertissimum oratorem anteuertam, qui propediem tua encomia pleno ore enarrabit. Tu enim is es qui maiorum tuorum imitatione, & magnarũ rerum meditatione, præclara antiquorum studia æmularis, & in primo adhuc ætatis flore ad idem gloriæ fastigium contendis. Non vana loquor, & ad blandiendũ excogitata ei præsertim,

Cui malè ſi palpere, recalcitrat vndique tutus.

Vidit te geſtienti ſimilis tua hæc Lutetia publicè docentem idipſum implere, quod olim Socrates domi, Plato in Academia, Ariſtoteles in Lycæo, Theophraſt. in hortis, Zeno in porticu, præſtitiſſe dicuntur. Teſtis eſt hæc venerandæ antiquitatis ſchola, nullum ex ſubſelliis Baccalaureum poſt illam natam, aut doctiùs propoſuiſſe, aut diſtinctiùs ſoluiſſe, aut præſentiùs quæſtionem quamlibet enodaſſe. Neque verò, καθάπερ μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ οὐδὲ μία ἡμέρα, ſic te vna actio prẹſtantem facit & commendat: ita enim in omnibus æqualis es tibique conſtas, vt numquam à te, niſi in meliùs recedas; ita ſimilis, vt nulli alteri poſſis comparari. Hinc meritò inter nos audis Polycleti canõ, ad quẽ qui propiùs acceſſerit, tantò maiori laude dignus

censetur. Et sane etiamsi quotidianis istis experimẽtis careremus, genium tamen tam raræ fœlicitatis satis arguerent, oris ingenium totiúsque corporis lineamenta & habitus, vt verè ex illis sis

Queîs meliore luto finxit præcordia Titan.

Nam vt cætera præteream, quis non ex vultu, *in quo totus homo est*, vt ait Apul. *& cuius vim Græci norũt, nomen omnino non habent*, inquit Cic. 1. de leg. te emendatissimum artificis naturæ opus, ad maxima natum esse intelligat? in illo porrecta frons & aperta moderatè protuberat: Linea Mercurij supercilia * distinguit, exinde ad malarum scripturam sensim excurrentia: fusci & arcano lumine micantes oculi à capite modicè extant: palpebræ non conuiuent: æquabilis nasi proiectura oculos & genas intercur-

* Χαριτοβλέφαρος philosophus apud Laert. aiebat μὴ μικρὸν εἶναι μέρος τῆς ὀφρῦς, ὅλῳ γοῦν ἐπισκοτοῦσαι δύνασθαι τῷ βίῳ.

rit: malarum tumor viuido colore ſemper conſpicitur. Quibus conſentiunt exquiſita totius cutis raritas & mollities, nec non pilorum ad nigros accedentium tenuitas. Hinc incredibilis ſenſuum omnium vigor, qui celeri obſequio menti prope diuinæ famulantur, eique expreſſam rerum omnium imaginem velut ex ſpeculo lucidiſſimo referunt ac repræſentant. Atque illa quidem ſunt eximia Muſarũ, quas in cõſilium natura adhibuiſſe videtur, munera & ornaméta: Neque verò ſunt Gratiarum pauciora, quibus iamdudum ex Platonis conſilio litaſti. Harum alia vbi arridentem omnibus vultum componit, genarum foſſulas excauat; alia ſulculum duxiſſe gaudet in medio ſuperiore labro; alia oſculum effinxiſſe, quale tantùm ad eloquendum decet. Taceo cætera φίλτρα & Veneris illecebras, ne Zopyri inſtar

deridear, dum tu animum ab eâ prorſus alienas. Tantas porro dotes indefeſsâ animi contentione & ſtudio ſic auxiſti ac locupletaſti, vt cui plus debeas tibi an naturæ neſciam. Ita enim cum Platone familiariter colloqueris, cum Ariſtotele ambulas, cum Galeno diſputas, vt omnes omnino poſſidere videaris. Neque verò antiquâ Græcorum medicinâ expletus, etiam Arabum libros euoluis, & diuitias exhauris. Hinc tua theſis, quaſi Palladis Ægis in cuius aſpectu obſtupeſcimus, fulget auro & aurichalco, ſcintillat ardentibus ſapphiris, nitet margaritis, ſplendet viridi ſmaragdorum luce: illa demũ vndique emicat ebore, cornubus, & fragmentis pretioſis teſſellata, in cuius vmbone velut emblema incluſum eminet *omnem fidem euentu ſemper fœlici ſuperans lapis Bezoar*: Ibi denique nihil niſi operoſum & con-

quisitum. Vereor tamen ne quid sit nimium & præter Sapientis monitũ. Equidem dicam liberè quod sentio, neque enim quicquam volo in te meâ dissimulatione committere. Γαλήνην si non amas, securè nũquam nauigabis. Nescio quis æstus te ex Græciâ in Barbariam abripuit. Hîc certè cogor reclamare atque vela obuertere, ne vterque cæco cursu in ignotas qualitatum occultarum regiones feratur. Nequicquam bezoardica cornua exerit & opponit tuus κεράστης, quæ profectò plus habere ostentationis arbitror quàm virtutis, quæque non magis esse medica experimento comprobantur, quàm γεωργικῶν boum. Neque cætera commendata à te ἀλεξητήρια maioris pendo, quæ tãtò ægris peiora sunt quãtò preciosiora, ac proinde meritò proscripta abs consultissimo totóque orbe celeberrimo Parisiensium

Medicorum ordine tamquam vana & irrita. Quò fit vt credam te ista disputãdi magis causâ, quàm ex animi sententiâ aut in pharmacopolarũ gratiam proposuisse. Hîc tamen anceps animus hæret, atque, vt ingenuè fatear, optarem non factum, & nomini tuo atque existimationi meliùs consultum putarem, si nobis nihil noui ex Africâ attulisses. At, inquies, patrum maiorúmque nostrorum hæc fuit recepta medicina. Scio profugas olim temporum fato Musas ex Europâ in Africam transfretasse, ibíque à Mahumetanis, qui tum Græciam fere occupauerant, deportatas, ac subinde Barbarorum hospitiis exceptas, thesauros omnémque supellectilem secum ex Græciâ aduectam deposuisse; ita quidem vt aliquot deinde seculis abstrusam Græcorum doctrinam, & præ cęteris medicinæ scientiam, non nisi ab Arabi-

Hanc historiã accuratè refert, vt solet cætera, Gabriel Naudæus cap. 6. lib. nuper à se hoc titulo editi, Additamentũ ad historiã Ludouici XI.

bus etiamnum in Hiſpaniâ docentibus, interpolatam, ne dicam corruptam, habuerint maiores noſtri, & cùm non liceret ex fontibus, è lacunis hauſerunt: donec noui Argonautæ Theodorus Gaza, Laſcaris, Trapezontius, Beſſario, Argyropilus, & ex noſtris Budæus, multíque his deinde ſuccenturiati, abſentes dudum Muſas in has terras reduxerint, ac veluti iure poſtliminij reuocarint. Hinc multa illis temporibus locum & laudem inuenerunt, quæ à nobis hodie in mediâ literarum luce natis meritò exploduntur, etenim

Frugibus inuentis quis vellet glandibus vti?

Quàm porro barbara fuerint ac inficeta ſemipriſca illa ſecula, norũt omnes qui illorum monimenta cum recentioribus conferunt. Vt ſubinde mirari non deſinam, quî fiat vt tu tam acri & ſolerti ingenio præditus,

hæc præ illis contemnas, & Arabum deliria Græcorum ſapientiæ anteponas. Illi quidem Græcorum plagiarij multa præclara ſcripſerunt, ſed tot falſis & futilibus aucta, vt hic maximè liceat Plinij in re ſimili verba vſurpare. *Mirũ eſſet profectò hucusque prouectam credulitatem antiquorum, ſaluberrimis ortam initijs, ſi in vlla re modum humana ingenia nouiſſent, atque non hanc ipſam medicinam ab Aſclepiade repertã, ſuo loco probaturi eſſemus euectam vltra magos etiam. Sed hæc eſt in omni re animorum conditio, vt à neceſſarijs orſa primò, cuncta peruenerint ad nimium.* Non tamen dubito quin quemadmodum olim Virgilius *aurum Ennij de ſtercore legit*, Sic tu ex illorum monimentis veritatem. At vero quãtò compẽdioſior via eſt illam ſynceram ex Hippocrate & Galeno adipiſci, & ad ſeuerum examen caſtigatam accipere, quàm adulteratam

Natural. hiſt. Lib. 26. c. 4.

& igni atque incudi denuo reddendam. Apage igitur Arabum commẽta, nec deinceps hanc labem tuę gloriæ asperge. Auicennam iactet Seplasiariorum turba, Galenum nostra, quem vt præceptorem perpetuum reuerenter habere debemus ac colere. Et hæc quidem officij mei ratio tibi obijcere coegit, ne, præter scholæ consuetudiné, omni ex parte tibi assentiri viderer, cùm alioqui sciam te non egere monitore. Quare vt hęc æqui bonique consulas, obnixè rogo atque obtestor.

RESVMPTA VIII.

An Insaniæ ab amore ναρκώτικα?

NÆ tu mihi (docte Puylon) Lethęo illi Amori videris hac tua verè diuinâ thesi litasse, cui velut ἀν-

τέρωτι vota olim faciebant aduersus Cupidinis faces, amorisque πολυδήμου Tyrannidem: ille siquidem somni nomine & numine inducitur ab Ouidio 2. de remedio amoris his versibus.

Est prope Collinam templum venerabile (portam,
Imposuit templo nomina celsus Erix.
Est illic Lethæus Amor, qui pectora sanat,
Inque suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & iuuenes votis obliuia poscunt,
Et si qua est duro capta puella viro.
Is mihi sic dixit: dubito, verusne Cupido,
An somnus fuerit, sed puto somnus erat.

Hinc (inquam) tu, ni fallor, relicto figmenti inuolucro, insaniæ ab amore ὑπνωτικὰ præscribis, quippe quæ & animo εὐθυμίαν & corpori temperiem concilient. Dum tamen non tantùm ὑπνωτικὰ, sed & ναρκωτικὰ

laudas,& pro amore ſtuporem inducis, vereor ne ex amante amentem facias, hoc eſt, ne deprauatum rationis vſum in abolitum aut diminutũ peruertas: idque non ſine probabili ratione, quam breuiter ſic expono, ſi priùs dicendi copiam fecerit prudentiſſ. huius actus moderator Duvalius regius philoſophiæ profeſſor, medicus ἀρχιτεκτονικός, πεπαιδευμένος, ἰσόθεος: fauerintque, &c.

Galenus lib. 1. de ſymptomatum cauſis cap. vltimo hypnotica medicamenta à narcoticis differre docet, quòd illa ſomnum naturalem inducant, hæc veternoſum & præter naturam, ac proinde illa propriè ſomnifera dicta duntaxat humida; hæc verò ſoporifera potiùs & ſtupefacientia, frigida maximè. vnde tandẽ concludit his verbis. *Igitur ea quæ dũtaxat humectant non abs re ſomnifera nominantur; quæ verò refrigerant ea ne-*

que ſomnum conciliare neque indolentiã inducere rectè dicentur. ſed pro ſomno veternum grauémque ſoporem; pro indolentia autem vel abolitionem vel difficultatem ſenſionis efficient, idque ob refrigerationis exceſſum. Ex quibus patet narcotica furori amatorio nullo modo competere, vt quæ nec animo εὐθυμίαν nec corpori quietem conciliare poſſint, ſed potiùs torporem ac ſtuporem. Quaſi verò deprauatio actionis eiuſdem abolitione ſit corrigenda, & hallucinanti mentis oculo lux adimenda. Imò ſane optandum magis vt lethargicus fiat pugil; & veternoſus amator delirus, hoc ſaltem beatus quod ſenſum non exuerit. Apage igitur tua Narcotica quæ miſerum amatorem infra belluas deprimunt eique ſenſum omnem adimunt. At dices ſenſus poſtea redit vegetior, & amor ſupereſt lãguidior. Ego contra ex Galeno contendo

eiuſmodi ſoporem & ſomnum præter naturam nihil ad ſpirituum & virium inſtaurationem conferre, imò verò cum amoris incendio calorem vitalem extinguere. neque enim narcotica ex Galeno aliter agunt & ſtupefaciunt, quàm extinguendo vel repellendo ſpiritus partiúmque natiuum calorem. Vnde ea non niſi magna cum cautione, doloris alioquin implacabilis obtundendi potiùs quàm ſomni prouocandi gratia, vſurpant prudentiores medici. In amore autem etiam inſano nullus eſt tantus dolor vt ſtupefaciendum ſit corpus & mens tenebris offundenda. Macerant quidem amantem vigiliæ, & animi ægritudo atque impotentia corpus ac vires exhaurit: verũ cùm illæ ſopore veternoſo neutiquã reficiantur (vt probatum eſt) narcoticis omnino abſtinere debuiſti, & ſolis humectantibus hypnoticis, cæ-

teris

teris non neglectis Sulmonensis Poetæ remedijs, morbum demulcere atque emendare; si quidem integrâ non . Cadmeâ victoriâ de prophano illo numine velis triumphare.

Huc etiã pertinet præclara de amore admonitio, quæ est apud Lucret. sub finem l. 4. de nat. rer.

RESVMPTA IX.

An Galenus per proprietatẽ totius substantiæ quid manifestum intellexerit?

MIRARER equidem tuã thesim (Erudite Mantel) nisi illa omnem admirationis causam tolleret. Dum enim ignorantiæ asylum euertis, nihilq; in medicina tam abstrusum atque reconditum asseris, ad quod mentis humanæ acies non valeat penetrare; nobis omnem admirandi occasionem præripis, præterquam tuiipsius, cuius curiosum in-

genium hactenus ignorata naturæ arcana totque annorum ſecreta reuelat & aperit. Anteà in morbis & medicamentis θεῖόν τι nobiſque imperuium admittebamus ſubinde inculcantes illud Poëtæ,

Multa tegit ſacro inuoluero natura: neque vllis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, nec non venerare.

Hodie per te turpe eſt ignorantiam fateri, ſic vt nemo iam humanæ naturæ imbecillitate, aut humilitatem ſuam aut ignauiam excuſet. Nuper medicamentorum pretium in pretio ponebamus, & maximè id placebat quod occultum putabatur: nunc vel laudatiſſima hoc nomine tecum damnare cogimur. Quid ita? Baccalaurei ſumus, hoc eſt,

Neruis alienis mobile lignum.

Tu ais, ille negat; vterque fortaſſis

parùm verè: vbique ad occultas qualitates recurrere, ignauia eſt; omnia ad manifeſtas referre, temeritas, ne cum Scaligero dicam, impudentia. Sic ſane:

Incidis in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Media via regia eſt, Galenica omniúmque ſecuriſſima, à quâ qui deflectit, aberrat. Galenus proprietates totius ſubſtantiæ in morbis, in medicamentis & in alimẽtis, toties inculcat, vt nemo magis. Tu ne Galeni deſertor palam videaris, illas quidem admittis, occultas tamen negas. Maximè vellem vt definiuiſſes quid per occultam qualitatem intelligis, quidque per proprietatem totius ſubſtantiæ, vt inter nos de rei controuerſiâ conſtaret. Age tamen rem expendamus, quidque de eâ ſenſerit Galenus, ab eodem diſcamus. Primò quidem ipſe aliàs totam ſub-

ſtantiam, aliàs geniti formam, aliàs ſummam rei perfectionem, aliàs eſſentiam nullo nominum delectu appellare conſueuit: Quæ ſane à temperamento ipſiúſque qualitatibus ſemper ita diſtinxit, vt non niſi illarũ remotione totius ſubſtantiæ proprietatem definiiſſe ac explicaſſe videatur. Ego idipſum ex pluribus locis probare poſſem; ſed vnus erit inſtar omnium ex proœmio lib. 5. de ſimpl. med. facult. *oſtenſum eſt* (inquit) *medicamentum natum eſſe alterare aut vnâ qualitate, ſcil. vel calefaciendo, vel refrigerando, vel ſiccando, vel humectando; aut dictorum coniugatione quapiam: aut denique totâ ſuâ ſubſtantiâ, ſicuti complura lethalium pharmacorum, nec pauca alexiteriorum ſeu amuletorum, tum purgantia omnia ac pleraque eorum quæ attrahentia nuncupant.* Ex quibus intelligimus totam ſubſtantiam nihil eorum eſſe quæ manifeſtè

in nos agunt; vnde ipſemet eandem nullâ methodo, ſed ſolâ experientiâ comprehendi poſſe aſſerit libro ſequente, ſermone de abrotano, his verbis, *ad hunc itaque modum non tantũ de abrotano, ſed de alijs quoque omnibus ſcribendum nobis eſt, has quidem qualitates quæ ſunt in calefaciendo, frigefaciendo, humectando ſiccandóque, iis quas ſæpenumerò memorauimus methodis, reperientibus:* ὅσα δὲ κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας ἀποτελοῦνται, τῇ πείρᾳ μόνῃ. Et paulò inferius de alyſſo verba faciens idem repetit, τοῦτο μὲν ἐκ τῆς καθ' ὅλην οὐσίαν ὁμοιότητος δύναται, καὶ λέλεκται πρόσθεν ὡς ἡ τοιαύτη δύναμις ἐκ πείρας τε μόνης λαμβάνεται καὶ παντάπασιν ἀμέθοδός ἐστιν. Nec eſt quod horum librorum, qui pro genuinis ab omnib. recepti ſunt, auctoritatem eleues, cùm conſtans ea ſit paſſim Galeni doctrina, vt lib. 1. de compoſit. med. ſecundũ genera ca. 16. δέδεικται γὰρ (ait) ἡμῖν ὅλη

τῇ τῆς οὐσίας ἰδιότητι, τὰ τοιαῦτα φάρμακα τὴν ἐνέργειαν ἔχοντα, καὶ διὰ τοῦτο τῇ πείρᾳ μόνῃ κρινόμενα. Item cap. 6. lib. 13. meth. med. vbi idipsum pluribus verbis exponit, quæ quia sunt sole illustriora, non grauabor ea in tui gratiam referre, atque etiam paulò altiùs repetere vt auctoris sensum apertiùs capias. ὅταν δὲ ἐπὶ θηρίῳ νύξαντί πως καὶ δάκνοντι τὴν ὀδύνην γίνεσθαι συμβαίνῃ, διττὸς τῆς ἀνωδυνίας ὁ σκοπός· ἢ κενῶσαι τὸν ἰὸν, ἢ ἀλλοιῶσαι τὸ τὴν ὀδύνην ἐργαζόμενον· κενοῦται μὲν οὖν διὰ τῶν σφοδρῶς ἑλκόντων φαρμάκων· ἀλλοιοῦται δὲ διὰ τῶν ἐναντίων, ἤτοι κατὰ τὰς ποιότητας, ἢ καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν. ἐδείχθη γὰρ ἐν τοῖς περὶ φαρμάκων ἔνια μὲν ὅλαις ταῖς οὐσίαις ἀλλήλοις ἐναντία· τινὰ δὲ ταῖς ποιότησι μόναις. ἐδείχθη δὲ καὶ ὡς ἐπὶ μὲν καὶ τῶν ἐναντίων κατὰ ποιότητα, μέθοδός τίς ἐστιν· ἐπὶ δὲ τῶν κατὰ τὴν οὐσίαν, οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ἐκ πείρας εὕρηται πάντα. καὶ σὺ τοίνυν ὅσα μὲν ἐκ μεθόδου θεραπευτικῆς, ἐντεῦθεν μάνθανε· τὰ δὲ ἐκ μόνης πείρας ἐγνωσμένα, κατὰ τὰς περὶ φαρμάκων

πραγματείας ἔχεις ἠθροισμένα· ἐν αἷς ἐπιδέδεικταί μοι, ἵνα μὲν ἐκ μόνης τῆς πείρας εὕρηται φάρμακα, ἵνα δὲ ἐκ μόνου τοῦ λόγου, ἵνα δὲ ἐξ ἀμφοτέρων. Vides vt expreſsè doctrinam confirmat, quam libris de medicamentorum facultatibus tradiderat. Hîc equidem libenter audirem quomodo Galenum tibi concilies, adeóque optarem vt non muta ſed mutua foret noſtra diſceptatio, tibique nunc darentur tuæ reſpondendi vices: neque enim quicquam ſuſpicari poſſum quod cum probabili ratione poſſis reponere; ſiquidem id ipſum omnino occultũ eſſe puto, quod neque ratione, neque ſenſu, ſed ſolâ experientiâ comprehendi poteſt, quæ mi. docet quod ſit, non quæ nec vnde ſit huius vel illius ſubſtantiæ proprietas. Nec eſt quod dicas ex cognitione morbi, iuuantium eiuſmodi medicamentorũ naturam explorari atque cognoſci:

Nam præterquam quòd occulti etiã plerumque sunt morbi * quibus illa prosũt, hoc vel maximè obest quòd omnibus intemperaturis conueniãt ea quæ totius substantiæ suæ proprietate commoditatem de se exhibent, vt demonstrat idem semper sibi consentiens Galenus cap. 8. lib. 8. de comp. medic. κατὰ τόπους, vbi de quibusdam hepaticis differens in vino dulci & protropo exhibitis, hæc ait, εὐμενεῖς γάρ εἰσιν οὗτοι (sup. οἶνοι) τῷ σπλάγχνῳ τρέφειν αὐτὸ δυνάμενοι, καὶ μέσοι τῇ κατὰ τὸ ψυχρόν τε καὶ θερμὸν ἀντιθέσει, καὶ διὰ τοῦτο τὰ τοιαῦτα φάρμακα πάσαις ἁρμόττειν φαίνεται ταῖς δυσκρασίαις, ὡς ἂν τῇ τε τῆς οὐσίας ἰδιότητι τὴν ὠφέλειαν παρεχόμενα, καὶ τῷ μήτε τὰς θερμὰς, μήτε τὰς ψυχρὰς δυσκρασίας βλάπτειν. His certè cedendum, si quid apud te ponderis habet Galenus, qui ne dubitandi quidem occasionem reliquisse videtur, quominùs putaretur qualitates occultas in

* De his vide supra Resumpt. 4.

medicinâ admiſiſſe, vnde vnde tandem illę proficiſcantur ſiue à formâ, ſiue ab idioſyncraſiâ, quæ ἄῤῥητος & ἀκατάληπτος pariter cẽſetur ab eodem pluribus locis, vt 1. ad Glauconem ſtatim initio, 3. meth. med. & paſſim alibi. Cùm enim indiuidua differant ſecundum indiuiſibile punctum proprii temperamenti, fit profectò vt hæc diſſimilitudo innumerabilis quemadmodum indiuidua, nequeat ratione comprehendi aut arte. Sed dicet aliquis non poſſunt eſſe infinitæ qualitatum gradibus ſuis finitarũ συζυγίαι: Reſpondeo infinitas fieri ſyncategorematicè, vt vulgò in ſcholis loquuntur, ſecundum infinitas ipſorum graduum partes proportionales. Quod ſi rem penitiùs inſpicimus, ſanè multæ ſunt mixtorum proprietates quę nullo pacto illi idioſyncraſiæ, ſed tantùm formæ tribui poſſunt: ſi quidem omnis

qualitas actiua quæ animaduertitur in mixto, pendeat oportet vel ab elementorum formis, quæ locum materiæ in eo obtinent, vel à formâ mixti: at multę dantur qualitates actiuæ in mixtis quæ ad elementares non possunt reduci. Quomodo enim, amabo, ex elementorum qualitatibus deducetur vis magnetis, pæonię, rhabarbari cũ delectu bilẽ trahentis, & similiũ? cũ calefactio sit actus adæquatus caloris, refrigeratio frigoris, & sic de cæteris. An putas aliquid posse supra vim suorum principiorum agere? quasi dicas aquam supra suum fontem emicare. Hîc equidem aut rerum omnium proprietates, sympathiæ & antipathiæ, licet exploratissimæ, tibi sunt gnauiter negandæ: aut, quod te video libenter facere, à medicinæ vsu prorsus ablegãdæ. Attamen Galenus c. 1. l. 5. de med. fac. eam scientiam propriè me-

Nota, licet omnes mixti qualitates ab eiusdem formâ determinentur ad agendum, non tamẽ omnes illius formæ auspiciis agere seu ab eadem formâ pendere, sed alias à formâ elementi alias à formâ mixti, quæ ideò dicuntur proprietates formæ.

dicinam nuncupari ſcribit, quæ in illis cæteriſque medicamentorum facultatibus perueſtigandis occupatur. Sic tu mihi plane videris Aſclepiadem potiùs quàm Galenum ſectari atque imitari, cuius ea præcipua ſcientia & cura fuit vt omnia antiquorum remedia abdicaret, referente Plinio c.3. l. 26. Iam finiero poſtquam eius hiſtoriam ibi expoſitam recitauero. *Durabat tamen antiquitas firma* (ſcilicet poſt Herophilum qui primus Hippocraticam medicinæ docendæ & faciendæ rationem neglexerat) *magnáſque confeſſæ rei vindicabat reliquias, donec Aſclepiades ætate Magni Pompei orandi magiſter, nec ſatis in arte eâ quæſtuoſus, vt ad alia ſagacis ingenij, huc ſe repente conuertit: atque* (*vt neceſſe erat homini qui nec id egiſſet, nec remedia noſſet, oculis vſuque percipienda*) *torrenti ac meditatâ quotidie oratione blandiens omnia abdicauit:*

totámque medicinā ad causam reuocando, coniecturam fecit, quinque res maximè communium auxiliorum profeſſus, abſtinentiam cibi, aliàs vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes: quæ cùm vnusquiſque ſemetipſum ſibi præſtare poſſe intelligeret, fauentibus cunctis vt eſſent vera quæ facillima erant, vniuerſum prope humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quàm ſi cælo emiſſus aduenißet.

RESVMPTA X.

An in Phrenitide cathartica quantumuis leuia, deleteria?

SOLIVS ſapientis eſt ſtultitiam nouiſſe, & delirantis animi pathemata diſtinxiſſe: Mens recta ſui & obliqui menſura eſt, vt meritò ad ſe omnia velut ad amuſſim exigat;

peruerſa & fallit & fallitur. Ita quippe à natura comparatum eſt vt animus temperatus ſolus omnes mentis exceſſus percipiat. Hinc fit vt tu (erudite Bicquet) cùm in cæteris, tũ in hac theſi mihi plurimùm ſapere videaris, in quâ tam accuratam animorum picturam omnium oculis, ſubiicis, & deliriorum genus omne ſapientiſſimè exponis: Inter quæ cũ phrenitis feritate & periculo primas ſibi vendicet, mirum videri non debet ſi de ipſius cauſis & remediis potiſſimùm fueris ſollicitus, eique ſtrenuum & ἡγεμονικὸν pręſidium oppoſueris, ἀρτηριοτομίαν intelligo, quã vt hîc adprobem facilè adducor: Quod verò cathartica etiam leuiſſima reieceris, tamquam deleteria vix aſſentior: quaſi verò tam ferus hoſtis pluribus armis non ſit oppugnandus. Multa certè me ab iſtâ tuâ ſententiâ reuocant quæ nunc com-

Clariss. vir D. Akakia intelligitur, qui nuper dum egregiam Regi Christianiss. operã nauaret in expeditione Allobrogicâ vitâ defũctus desideratur.

pendiariò proponam, si priùs veniã dederit prudentiss. huius actus moderator & re & nomine medicus ἀλεξίκακος, ὃ πολλῶν ἀντάξιος ἀνδρῶν: faueantque cæteri, &c.

Phrenitis cùm sit affectus acutissimus & grauissimis stipatus symptomatis, celerem postulat curationem quæ consistit in causæ tam antecedentis quàm coniunctæ demolitione, intemperiei calidæ alteratione, & symptomatum correctione. Quæ omnia cum vnico præsidio vix præstari possint, necessariò pluribus vsus est. Quid enim v. g. profuerit phrenitidis causam cõtinentem deriuatione aut διαφορήσει minuere, si non inhibeatur nouæ materiæ affluxus, eiúsq; motus ἀνάρροπος, fiat per reuulsionem κατάρροπος. Primus itaque scopus ad causam antecedentem debet referri, quæ sui tum euacuationem tum reuulsionem in-

dicat: hæc autem duo commodissimè præstat catharsis, vbi & cacochymia est, & humorum orgasmus. At in phrenitide cacochymia est biliosa, eiúsque humoris motus ad superiora fluentis, vt constat ex deiectionibus albis & vrinis tincturæ expertibus. Non inficior phlebotomiam, hîc multùm conducere: verùm cùm immineat periculum ne tota illa effrænis materia sese in partem laborantem effundat, apostema perficiat, atque vires prosternat, statim medicari conuenit, vel ex HIPP. præcepto aph. 22. sect. 1. vt eum etiam fecisse videmus 2. Acut. part. 10. vbi fluentem humorem ad pleuram statim ab initio medicamento purgante subducit: At, inquies, idem ipse part. 22. lib. 4. acutorum inter initia morborum φαρμακεύειν omnino vetat, vbi partes inflammatione obsidentur, ne videl. medicamento pur-

gante inflammatio augeatur. Quę sanè obiectio hîc locum habere non potest. Hippocrates enim ibi de deriuatione non de reuulsione loquitur, & in iis tantũ partium inflammationibus initio purgandum esse prohibet, in quibus materia est impacta eiúsque coctio expectanda, vt ex eius verbis facile est intelligere, *quicumque* (ait) *ea quæ inflammantur statim morborum inter initia medicamento soluere conantur, ij non solùm ab intentâ inflammatáque parte nihil adimunt, cùm non cedat obsequatúrque quæ adhuc cruda est affectio: Verùm quoque & quæ morbo aduersa & sana sunt, absumunt contabefaciúntque.* Quã sententiam Galenus notat in com. se explicasse ad aph. 22. sect. 1. vbi tamen absolutè & citra exceptionem initio purgandum esse concludit turgente materia, aliàs semper expectandum esse pepasmum, ne incommoda

moda quę hîc adducit Hippocrat. ſubſequantur. Ille igitur non in omni inflammatione purgandum eſſe prohibet, qui initio notæ pleuritidis veratrum nigrum & peplium præſcribit loco ſupra laudato, ſed tantùm in eâ in quâ materia non turget aut reuulſio locum non habet: at verò in phrenitide vt plurimum & humoris reuellendi adeſſe orgaſmum, nec eiuſdem exſpectandum eſſe pepaſmum, imò impediendam eſſe, quantum fieri poteſt, ἐμπύησιν vt maximè calamitoſam; & ex ſuperioribus, & ex tua theſi ſatis conſtare arbitror. Quare nihil cauſæ eſſe video cur cathartica etiam leuiſſima in phrenitide omni proſcribas tamquam deleteria. Nam vt vehementiora & inflammationem augeant & delirium, certè mitiora hac labe carent, nec cerebrum feriũt aut percellunt, vt pote cui tantùm

ſuccurrant ex accidenti, quatenùs ni. materiam illuc fluentem ſenſim reuocant & euacuant. Hîc tamen aſſenſum ſuſpendo quem ſpero reſponſionum tuarum ponderibus in tuas partes vltrò inclinaturum.

RESVMPTA XI.

An pueri inſomnijs terreantur?

*Cõment. de abditis rerũ cauſ. cap. penultimo, vbi de faſcino diſputat, de quo theſis tum propoſita eſt.

NERVVS ſapientiæ eſt nihil temerè credere; nullum enim tam impudens mẽdacium eſt quod teſte careat, inquit Doctiſſ. Riolanus*. Et ſanè ſi teſtibus certandum eſſet, citò cauſâ caderes (erudite Pratæe) dum ſuperſtitioſam tot annorum perſuaſionem ex hominum mentibus conaris euellere. De incantationibus, de faſcinatione, de dæmonum maleficiis & præſtigijs,

tam multi multa tradunt & affirmant, vt inter tot mendacia veritas facilè obruatur nisi acerrimum inuenerit assertorem. Quò fit vt illa multum tibi debere videatur qui hodie eius partes tam strenuè suscipis, & fanaticarum mentium deliramenta sapienter despicis. Liceat quantumlibet poëtis ad vulgi sensũ sese accommodantibus, fascinantes inuidorum oculos aut susurros auersari; nos certè tuo iam beneficio parùm metuimus,

Ne medico noceat mala lingua futuro.

Antiqui fascinum fascino opponebant, erátque illis fascinus *medicus inuidiæ*; Tu ridiculum eiusmodi medicum mulierculis relinquis & ab hac grauissimæ censuræ scholâ vt par est, eiicis; Animorum verò fascinationi singulare amuletum proponis, thesim (inquam) tuam,

cuius bona verba præceptam de faſcinatione opinionem facilè auertẽt. Illa quippe tota dogmatica eſt, conſilij & ſapientiæ plena, Empiricorum technas atque ſecreta meritò ridet. Nihil arcanum habet veritas aperta, & ſummum artis ſecretũ eſt nullum eſſe ſecretũ, hoc eſt, nihil eſſe quod citra rationem, aut multorum annorum experientiam, in ea locum obtineat, cuiuſmodi peritum artificem nihil latet: cætera ignorare prę-ſtat, quàm cũ periculo ſcire. Hîc equidẽ ego pluribus applauderẽ tuis doctiſſimis poſitionibus, téque ideo in os laudare non vererer, niſi nunc meum eſſet

In vetitum niti, tantúmque negata probare.

Iam itaque tibi minutam dubitatiunculam oppono, &, quando tempus inſtat, paucis controuerſiam de puerorum inſomniis aperio, ſi tamẽ

balbuties nostra arriserit consultissimo prudentissimóque huius actus moderatori Braierio doctissimi filii doctissimo Patri, nec non cæteris, &c.

Primo tuo corollario inter puerorum lactentium morbos & symptomata recenses insomnia quibus illi terreantur agitentúrque, cõtra sententiam Aristotelis li. 4. de hist. animal. cap. 10. his verbis, ἐνυπνιάζει δὲ τῶν ζώων μάλιστα ἄνθρωπος. καὶ νέοις μὲν οὖσι καὶ παιδίοις ἔτι πάμπαν οὐ γίνεται ἐνύπνιον, ἀλλ' ἄρχεται τοῖς πλείστοις περὶ τὰ τέτταρα ἔτη ἢ πέντε ἤδη γεγονόσιν. Quod repetit lib. de insomniis cap. vltimo. Ac ne putes sublestã esse hac in parte eius auctoritatem, quasi ex vulgi persuasione hoc scripserit, ibidem ille rationem subiungit non contemnendam, his fere verbis latinis à Vatablo factis. *Porro existimare oportet, haud aliter motionem quamq; in ijs fieri,*

quàm paruas illas vertigines per summa amnium decurrentes, quæ interim similes euadunt, interim quod aquæ aliò retorqueantur, in alias subinde formas soluuntur diuelluntúrque. Quamobrem statim à cibo non somniant animalia, neque cùm edita nuperrime in lucem sunt, vt infantes: nam multa tum agitatio motióque est propter alimentarium calorem. Quare quemadmodum humore vehementer commoto quandoque nulla redditur effigies; quandoque redditur quidem aliqua, sed distorta penitus, adeò vt alia videatur esse quàm sit: quiescente verò semper aliqua redditur, quæ etiam nulla ex parte affecta est, sed pura & expressa: Ita & inter dormiendum interim visa & motiones, quæ per sensus haustæ supersunt, præ maiore illo motu qui dictus est in infantibus, prorsus obliterantur exolescúntque; interim præposteræ & monstrosæ visiones apparent & ingrata somnia, qualia melancholicis, vinolentis

& febrientibus accidunt. Simul autem ac resedit & discretus sanguis est in ijs quæ sanguinem obtinẽt, incolumes sensatorum motiones quæ à singulis sensibus transmittuntur, grata somnia faciunt & consentanea, cuiusmodi, ni fallor, vocat Hippocrates ἐναργῆ. Ex quibus vides vt Aristoteles eleganti similitudine appositâ, rationem reddit cur pueruli non somnient. Cui & ego hanc subnectam ni. quòd paucæ rerum, quas tũ phantasiâ cõprehendunt, imagines, in cerebro molli admodum & pene diffluente à vaporibus facilè obliterentur. Quin tu nedum somnia, sed ea etiã turbulenta lactentibus pueris tribuisti: quæ tamen victus intemperiei, varietati, aut alimentorum cruditati, & singulari quorumdam cõditioni, vt fabarum similiúmque, præsertim adscribit ex Aristot. Plutarchus lib. 8. sympos. probl. 10. vbi

Lib de insomnijs.

quærit cur Autũno minùs vera ſint & conſentanea ſomnia, cuius rei cauſam in primis refert in eſum fructuum qui tum plurimi abundant. Quæ certè omnia cùm à pueris abſint ſolo lacte veſcentibus, non eſt quod illos ampliùs inſomniis turbari credas, imò ne iis quidem vti iucundiſſimis, propter rationes ſuprà expoſitas. Quare quod de hominibus in Atlantide inſulâ degentibus aliqui perhibent, eos videl. nũquam ſomniare, idipſum de pueris anniculis aut bimulis veriſſimũ eſſe puto. Neque mihi nutricum vigilantia id diſſuadet, quæ ſuos puellulos ſuctu per quietem ſeipſos imitari & ridere aliquando animaduertunt: Namque tum fortaſſis verè nõ dormiunt illi, ſed vigilantes (vt ita dicam) ſomniant: *fieri enim poteſt* (ait ibid. Ariſt. *vt ſi horum alterum, vigilare & dormire, non ſimpliciter adeſt, al-*

terum quodammodo adsit, in quorum nullo somnium vocari debet: si quidem ibi somnium non est, vbi simpliciter non est somnus. Et hoc quidem cum ἀρίστῳ τέλει concludo pueros insomniis vix turbari ante quartum ætatis annum.

RESVMPTA XII.

An locus seu focus periodicos febrium motus efficiat?

Hanc quæstionem paulò fusiùs agitaui quàm tempus videretur postulare, quin etiam adductis & solutis difficultatibus nunc auxi, vt theseos à me postremò propositæ consilium omne aperirem & rationes exponerem.

Porro præfationis huiusce occasio nata est ex inductâ in propositâ thesi allegoriâ pene perpetuâ libidinantis materiæ primæ & congredientium elementorum, ex quorum diuortio non nisi spuri par-

tus oriantur, putâ corruptiones, morbi, ac subinde febres, de quibus ex professo agebatur, cùm quæreretur, an febrium medela refrigeratio?

TANDEM aliquando (Erudite Fradæe) exhaustis totius biennij laboribus, & emensis viæ salebrosæ sentibúsque obsitæ ambagibus, finem attigimus, in quo nedum irriguos ad refrigerium fontes & ante tempus rosas, sed & luxuriantis naturæ delicias cernimus, atque coeuntium elementorum nuptias te paranympho & auspice celebramus,

O Hymenæe vocatus ades & pronuba Iuno.

Valeat pro Zelotypis quantum potest lex Iulia, iamdudum ab ipsis legislatoribus violata;* hîc certè naturalis vincit, quippe quâ multis vnius sinus sufficit, & obuiis quibus-

*| I. Cæsar eulit, Domitianus pene antiquatam reuocauit, vterque mœchus Iuuenal. Satyr. 2.

que ſubſternitur vna eadémq; materia prima, cuius appetitus velut alterius Meſſalinæ numquam ſatiatur: Illa ſcilicet formam appetit vt fœmina marem ex ſententia Ariſtotelis: quemadmodum enim fœmina apud eundem in patiendi ſortem tantùm nata eſt, quæ proinde marem velut actum ſuum auidè expetit; ſic & materia formam. Cui ſane ita connata eſt iſta ἔφεσις ſeu libido, vt nullus meminerit illam fuiſſe virginem, aut viduam viderit; Cúmque pluribus ſimul frui non poſſit, continuo nouitatis amore impotétiam ſolatur, & multiplici formarum ſucceſſione nobilitatur. Eadem lege apud quaſdam gentes, quas noſter faſtus barbaras vocat, pluris æſtimantur puellæ quæ plures admiſerint, ita quidem vt eis dos ſit maxima muliebris patientia. O quàm inani perſuaſione mores noſtri na-

De Meſſalina idem Satyr. 6.

Cap. vlt. 1. Phyſic.

De his videdus Michael Mõtius cap. de conſuetudine.

turam, quàm illæ ducem ſequuntur, corrigunt! Quàm infœlici euentu! Heu quoties arcani virginũ ignes, tabeſcentes macerant, &, dum timidis votis ſponſus expectatur, conficiunt? Quoties tyrannicus ille pudor pro rubore pallorem fœdóſque colores inducit, & roſeum faciei colorem vertit in plumbeum & cadauerosum? Quoties tacitâ libidine incandeſcens iecur & exæſtuantes lũbi obſtinatas in furorem agunt; aut ſtrãgulatus vterus incautas conuellit & exanimat? ἐκστατικῶς vocet qui voluerit: certe vuluæ raptus eſt non animæ; cui tædæ funebres apparãdæ ſi coniugales differãtur. Ita ſane caſtus noſtri fruſtra naturã expellunt ſemper recurrentem. At ego quò tãdem excurro? aut cur à ianuâ aberro? Ludo quaſi otioſus, cùm tamen ſatius ſit motum rerum omnium ad centrum nos hîc imitari, quippe

qui vires acquirens eundo in fine maximus eſt, miniméque languidus. Quare mecum hoc age, docte Baccal. túque Præſes ſapientiſſ. ſerio iam dicentem patienter audi, & ad finem contendentem ſingulari tuâ beneuolentiâ fac alacriorem.

Habes 4. coroll. locum periodicos febrium motus minimè facere. Quam propoſitionem vel falſam eſſe vel abſurdam ſic oſtendo. Vel enim negas locum hos motus efficere ſimpliciter, vel etiam ſecundum quid. Prius abſurdum eſt, ſiquidem ea theſis in quæſtionem reuocari non debet, quæ dubio caret, quæque pœna magis aut ſenſu quã ratione indiget, ex Ariſt. cap. 11. lib. 1. Topic. Sed nullus, opinor, qui vel philoſophiam à limine ſalutarit, ne ſuſpicabitur quidem focum ſeu locum in quo materia febrilis generatur aut colligitur ac demum incen-

ditur, febrium circuitus simpliciter efficere: Quis enim ignorat locum, cùm sit quantitas seu superficies intima corporis ambientis, posse nihil agere? frustrà igitur est thesis quæ locum hos motus simpliciter efficere negat. Posterius verò falsum est ni. quod locus non sit causa cur talis fiat motus seu hoc ordine fiat. Quod etsi abundè confirmare possem dissidentium opinionum ac præsertim tuæ infirmatione, præstat tamen directa demonstratione rem conficere. Pono cum Galeno in febribus periodicis nouum fieri affluxum materiæ quæ nouum paroxysmum reducat febrémque interpolet, neque enim febris silet nisi absũpto pabulo, repetitue ni aliud denuo suggeratur quod illam accendat. Quare in primis attẽdendũ vndenam fiat nouus eiusmodi materiæ appulsus. Mirum profectò est in

quæſtione tot ſeculis ſudatâ tam paucos huc aduertiſſe. Obuia prætereunt plerique vt cælum accuſent & remotiſſima quæque cauſentur: Alij veluti deſperatione impulſi ignorantiam fatentur & magno conatu nihil dicunt: alij denique humoris quantitatem, alij qualitatem, alij motum adducentes, difficultatẽ, magis inuoluunt quàm euoluunt, vel certè intricatam non extricant. Primus & poſtremus Franciſcus Perrellus abſtruſæ atque reconditæ eruditionis Medicus Hippocratem & Galenum duces ſequutus rem acu vel potius ſtylo tetigit tanta fœlicitate vt peruerſi ſit aut maleuoli iudicij qui illi non applaudat. Is igitur in aureo libello quem de febribus intermittẽtibus inſcripſit & edidit, iuxta catholicum diuini ſenis theorema * τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις, ab alimen-

F. Perrellus propoſitæ ſententiæ pro auctor.

* Apho. 10. ſect. 2. idẽ repetit aphor. 65. ſect 7. vt & lib. de priſca medicina, τῇ μὲν νόσῳ τροφή τε καὶ αὔξησις, τῷ δὲ σώματι φθίσις τε καὶ μάρανσιν.

to quod quotidie ingeritur excrementum hoc, confeſſam febrilium recurſuum cauſam, repetit & arceſſit, quod pro varia *diſpoſitione & ſitu* partium alimentum excipientium, hoc vel illo circuitu generatur, colligitur, putret & mouetur. Galenus quidem ſolius diſpoſitionis meminit cap. 17. lib. 2. de different. feb. ad quam pertinent ἀσθένεια, καὶ τὰ ἐγκαταλελειμμένα τῶν μορίων σηπεδονώδη περιττώματα, vnde fit vt alimentum illuc appellens faceſſat in excrementū partis vitio & naturæ reſpondens. Perrellus præterea ſitum meritò addidit, atque, vt certam talis recurſus cauſam, obſeruauit ſucceſſionem partium in alimento excipiendo, ac præſertim ventriculi, hepatis, & lienis, qui ſunt proprij periodicarum febrium foci, atteſtante Galeno primo ad Glauc. cap. 5. vbi expreſſis verbis ait τοὺς ἀμφημερινοὺς, οὐδὲ χωρὶς τοῦ

ὁ

τὸ στόμα τῆς γαστρὸς πεπονθέναι, συνίστασθαι, καθάπερ τοὺς τεταρταίους περὶ σπλῆνι καὶ κακο-περαγγιῶτι, τοὺς δὲ τριταίους περὶ ἥπατι. Ex quibus tandem veram & proximam periodicorum in febribus circuituum cauſam non minùs accuratè quàm doctè deducit, quam & Hippocrates & Galenus veluti digito indicarunt, ille 4. de morbis, hic lib. 2. de diff. feb. capitibus poſtremis: Cui conſentit & ſubductus horarum intercalarium calculus. Audi Hippocratem de alternis febrium cõuerſionibus diſſerentẽ lib. laudato: μεθίει τὸ πῦρ ἐν τῇσι περισσῇσι διὰ τὸ δέ, ὅτι ἐν τῇσιν ἀρτίοισι τῶν ἡμερέων ἕλκει τὸ σῶμα ἀπὸ τῆς κοιλίης, ἐν δὲ τῇσι περισσῇσιν ἀφίει, ἡ δὲ κοιλίη διηθέει ἔξω τοῦ ὑγροῦ, κατ' ἀνάγκην τοίνυν δὲ αἱ νοῦσοι κρίνονται ἐν τῇσι περισσῇσι τῶν ἡμερέων. Quaſi diceret, eorum quæ fiunt in morbis omniũ ratio, formáque aliqua pendet ſemper ab eo, quod certo in ſanis nun-

quam non ſit ordine, puta alimenti alteratione & diſtributione, cuius ſtata tempora ibid. explicat & definit. Audi & Galenum præceptori ſubſcribentem cap. 14. lib. allegati, vbi plurimis mirabilem periodorum cauſam in genere ſic aperit. *Quemadmodum igitur ſi quis videret quantum quotidie excernitur, ignoraret autem cauſam egeſtionis,* (vid. ingeſtionẽ) *miraretur ordinem. Pari modo & qui ignorat quæ partes excrementum iecinori tranſmittant, miratur proportionem excitatarum ex iecore febrium,* &c. Poſteà verò cap. 16. exponit quomodo excrementum illud generetur ex alimento. *Subijciatur,* inquit, *facultas partis robuſta, tempore verò interueniente eiſdem in partibus, quæ priùs tranſmiſerant, collecta eſſe excrementa paria quantitate & qualitate ijs quæ initio tranſmiſerãt: hoc verò accidit in ijs in quibus diſpoſitio mittentium, & attra-*

cti ad ipsas alimenti quantitas & qualitas eadem permanet. Necesse enim est æquale ac simile quod ab eadē alteratur facultate, æqualia ac similia facere excrementa. Quin etiam tempus collectionis eorum necessariò æquale erit. Partes enim quæ aluntur quoad similem habuerint constitutionem, ab eodem nutritæ alimento, æqualia quantitate & similia qualitate, atque eodem temporis tractu, κατὰ τὴν αὐτὴν τοῦ χρόνου προθεσμίαν, *colligent excrementa. Quin etiam eadem circuitione incitabuntur ad expellenda ea atque mittenda debilioribus.*
Hactenus Galenus, qui cùm priùs egisset de dispositione partium fluxiones recipientium, hîc transit ad mittentes quæ statis periodis excrementa suppeditant ex alimento appellente. Ex cuius mente obseruamus locum intelligi vel de parte generante & mittente excremen-

tum, vel de recipiente: Et ratione mittentis febrium typos inter ſe potiſſimùm diſtingui, licet ſæpius contingat vt eadem quæ mittit, recipiat, vel certè partes huic circumfuſæ: Sic ventriculus in quotidiana pituitam, quam multam generat, inibi aut in partem quampiam vicinam ceu mineram deponit, vbi illa fermentatur, mouetur, atque tãdem accenditur. Hæc enim neceſſariò ſeſe conſequũtur generatio, collectio, putredo, motus, quo potiſſimùm hæ febres diſtinguuntur à ſymptomaticis, in quibus materia impacta & immota phlegmonem ſyſtrophicã ac ſubinde febrem excitat. Iam verò quod maximè eſt demonſtrandum intermiſſionis tempus in vnaquaque typicâ febre exactæ, ſi conferatur cum tempore quo partes publicæ alimentum excipiunt ac conficiunt, mirum quantum inter v-

trumque conuenit, ita quidẽ vt pręcipua causa interrupti in eiusmodi febribus ordinis & ἀταξίας, sit error in victu, vt passim docet Gal. præsertim com. 3. in part. 7. lib. 1. Epid. Atque ne quis de hac veritate dubitet, sigillatim temporum rationem ponam. Quotidiana exacta ferias statiuas habet (quamquam non omnino ἀπυρέτοις) septem octoue horarum æquinoctialium, quo temporis interuallo ventriculus, propria istius febris sedes, sumptum cibum alterat & subigit, atque tandem inustâ labe inficit. Tertianæ purior ἀπυρεξία triplo diuturnior est, ac quartanæ quadruplo, propter longos viarum anfractus, quibus fit vt tardè & non nisi postero die alimentum hepatis cauis succedat, quod liquidò patebit ijs qui laudatum suprà Hippocratis librum consulent; ac subinde tardiùs adhuc ad

lienem remotiſſimũ appellat. Quod ſi cui tamen longior harum febriũ intermiſſio præſcriptum digeſtionis alimenti & alterationis tempus videatur excedere: attendat ſuccenturiatum humorem in iis quàm in quotidianâ lentiùs putreſcere, tum ratione ſui ipſius, tum ratione foci in quo pauciores ſuperſunt antecedentis incendij reliquiæ: Ita tamen vt abſolutè negemus humorem qui febrem committit, periodi quoque eſſe cauſam. Ille quidem cauſa eſt exiſtentiæ febris, non eſſentiæ ſpecificæ: ni. quòd talis ſit febris vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, hoc non tam ab humore pendet, qui vnicuique typo proprius eſt, quàm à parte humorem generante, pura ventriculo pituitam, iecinore bilem flauam, liene nigrã, quomodo iam declarauimus. Hinc igitur acceſſionum typus cer-

tò repetendus. Earumdem verò durationem longiorem vel breuiorem, vehementiam intenſiorem aut remiſſiorem, & anticipationem aut poſtpoſitionem, ſoli humoris copiæ & conditioni cum Galeno tribuimus. Sed vt ad typos redeam, illi qui in continuis febribus per ratas exacerbationes pariter obſeruantur, hinc etiam facilè intelligentur, ſi perſpexerimus qua in re differant continuæ ſeu συνεχεῖς ab intermittentibus. Fernelius, de quo ambigo Gallicuſne ſit Galenus potiùs an Romanus dicendus, præ cæteris appoſitè diſcrimen appoſuit, ni. quòd illarum ſedes ſit in vaſis maioribus, ſeu vt ipſe loquitur, in ſecunda corporis regione, harum verò in prima & extra vaſa maiora: ac proinde in illis nullus præcedat rigor, nullus horror, quæ harum ſigna ſunt inſeparabilia & ἐπισημασίαι propriæ.

Quæ diſtinctio intermittentium à continuis penes locum omnino intelligenda eſt ratione recipientis, cùm alioquin mittentium in vtriſque eadem ſit ratio. Namque ſi vaſa maiora hunc vel illum humorem excandeſcentem & velut orgaſmo quodam illuc irrumpentem recipiant, fit continua, tertiana quidem hepate malè affecto & mittente, quartana liene, quotidiana ventriculo; ita vt harum remiſſio & exacerbatio reſpondeat aliarum intermiſſioni atque acceſſioni.

Atque hanc eſſe germanam periodicorum paroxyſmorum cauſam, ego eruditis Perrelli patris ſcriptis, & familiari conſultiſſimi filij voce doctus atque inſtitutus, cumulatè probaſſe videor & demonſtraſſe. Quæ ſanè opinio doctis & in arte medica conſummatis viris clariſſ. huius ſcholæ Medicis ſic arriſit, publicâ à

nobis de ea nuper propoſitâ theſi & in hiſce ſubſellijs ipſiuſmet Perrelli filij auſpiciis agitatâ, vt nunc ſatis mirari non poſſim quo conſilio tu eandem tam præcipiti cenſurâ exploſeris. Mouit te fortaſſe Sanctorij medici ac philoſophi celeberrimi auctoritas, qui lib. 5. *methodi vitandorum errorum* cap. 5. iſtam ſententiam ex parte damnat. Ille tamen eandem vt ad veritatem propius accedentem laudat, & quam emendat, commendat. Sed ſi liceat à malè conſulto Philippo ad meliùs conſultum prouocare; Sanctorius, opinor, quo eſt animi candore Perrellum mutato iudicio impoſiti erroris abſoluet. Diſtantiam viſcerum nutritiorum à corde conſtituit cauſam periodicationis, vt loquitur, nos ab ore ventriculi, neque tamen inde ſequitur febrem eſſe affectum oris ventriculi, vt obijcit; Diſtantia enim

viſcerũ vnde vnde menſuretur nihil facit ad febrem, ſed tãtùm ad circuitum cuius cauſam inueſtigamus. Neque verò dicimus febrem originem ducere ab ore ventriculi, ſed potiùs intermiſſionis tempus ab eo æſtimari: neque ſupponimus non fieri v. g. tertianam niſi humor peccans ſit in ipſo iecore vt opponit, cuius contrarium ex ſuprà dictis ſatis patet. Porro non eſt credibile febres propter interpoſitum focorum à corde ſpatium tamdiu otiari: neque ſic ne probabilis quidem diuerſorum circuituum ratio reddi poteſt, ſi quidẽ ventriculi, hepatis, & lienis, pene æquale eſt à corde diuortium, niſi forſan ventriculi minus. Quæ omnia Sanctorij præiudicium arguunt, nec ſatis æquâ lance ab eo examinatam Perrelli cauſam. Quare ego (Erud. R.) ne tibi mihique hac in parte deeſſem, paulò prolixiori ſermone ſum

vſus, ſi tempus & locum ſpectes; quamquam compendioſo, ſi rem & quæſtionem. Sed rurſum age, quando ſupremum hoc reſtat viæ iter, neque nos iterũ reſtituet ſimul dies craſtina, diutius iſtheîc lubet immorari. Nolo diſſimulare quæ hac in ſententia occurrunt incommoda, quæ tamen illa præ cæteris pauciſſima habet, quæque facili negotio occupari poſſunt & remoueri.

Primum eſt continuum & quotidianum videri alimenti ad hepar & lienem affluxum, quia ſaltem ſemel in die cibus ingeritur : quod ſi ſit, non valet ratio allata, cur tertianâ & quartanâ tentati quotidie non febricitent. Nam ſi heſternus cibus v.g. cauſa eſt craſtini paroxyſmi, certè hodiernus cauſa erit alterius in perendinum diem futuri, & ſic deinceps quotidie recurret tertiana. Idẽ de quartana dici poteſt. Reſpon-

deo, etiamſi in ſanis continuus videatur eiuſmodi alimenti ad hepar appulſus, rem tamen in ægris neceſſariò aliter ſe habere, ſi quidem ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή· τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή. Deinde verò in ipſis paroxyſmis totum id quod eſt in via quódque nondum focis ſucceſſiſſe potuit, tum febris incendio diſſipatur, tum vomitionibus, alui deiectionibus & ſudoribus, foras amãdatur, cuiuſmodi in acceſſionũ principijs & fine frequentes contingunt vacuationes. Vnde exhauſtæ ab vnoquoque paroxyſmo partes & primæ regionis viæ remanent, quæ denuo ab aſſumpto alimento implentur ea ſucceſſione quam expoſui. Sed ex hac ſolutione ſequitur aliud incommodum, ni. quòd ſic eiuſmodi febres ſolo Theſſalorum διαιτείτω profli-

garentur & præſcriptâ tantùm inediâ certò curarentur. Quod tamen experientiæ repugnat. Reſpondeo non ſequi, primò quia denegato omnino aliméto vires proſternerentur, in quibus præcipua ſanitatis recuperandæ ratio poſita eſt. Secundò quia ſic partium empyreuma & intemperies augeretur, quibus potiſſimum proſpiciendum eſt. Quia denique tum partes vnde vnde attrahentes malum malo cumularent. Certum tamen eſt exactam diætam in iſtis maximè ad curationem conferre, eámque neglectam aut confuſam eſſe diuturnitatis & ἀταξίας cauſam. Tertium incommodum etiam ex ſolutione primi reſultat, ni. quomodo ſic fieri poſſit aut intelligi ἐπιπλοκὴ harum febrium quæ implicantur inter ſeſe ſiue eiuſdem ſpeciei ſiue diuerſæ, puta tertiana cum quotidiana, aut tertiana cum tertiana. Namſi

in vnaquaque accessione vacuatur & consumitur omnis materia etiam quę nondũ partis vitio inquinata adhuc affluit; quo modo, inquã, seruato eodem tẽporis tractu fiet duplex febris v.g. tertiana, ita vt primus paroxysmus respondeat tertio, secundus quarto, tertius quinto, & sic deinceps? Respondeo ideò has febres geminari quòd accedens ad multiplicem focum materia, in vnoquoque paroxysmo tota non exhauriatur, sed ea tantùm quæ parata est & incendio proxima: quod inde accidit, quia in his febribus imbecillior natura remotiorem adhuc humorem nequit excutere. Est enim in iis intemperies partium maior, quarum non vna est in vitio sed plures, mittentes quidem, vbi sunt diuersæ speciei febres implicitæ, vt in tertianâ quotidianæ permixtâ ac confusâ, ventriculus & hepar: vbi verò eius-

dem ſunt ſpeciei v.g. duplex tertiana, deriuata ab eodem fonte materia, puta hepate tum peſſimè affecto, in duplici foco alternatim excipitur: ſic vt heſternus v.g. cibus ab hepate alteratus ad hunc vel illum focum appellens cauſa ſit craſtini paroxyſmi, & hodiernus ab eodem hepate confectus & infectus, in alium, non tamen longè remotum focum, expulſus vel attractus, cauſa ſit poſtridiani, & ſic deinceps.

Sed iam tempus eſt optato fine frui, & ad amœnos tuæ theſeos fontes tandem acquieſcere: hîc ego ſudorem abſtergere, puluerem excutere, & de via laſſus reſpirare quid ceſſo? vos etiam

Claudite iam riuos ſocij, ſat prata biberunt.

Finis partis ſecundæ.

PRÆMONVI in epistolâ ad medicinæ Cãdidatum, in singulis quodlibetariis actibu sBaccalaureorum vnumquẽque, postquam subscripti in thesi Doctores tribus aut quatuor horis aduersus propugnantem Baccalaureum disputarunt, debere de propositâ qualibet quæstione ad thesim quoquo modó pertinente ex tempore respondere, expositámque sententiam pariter propugnare: Ita vt tot fuerint eiusmodi difficultates superandę, quot sunt Resumptę dictæ. Harum vnam aut alteram hîc subiicere libuit, non tam ad rei ostentationem quàm ad exemplum: quamquam & hoc meritissimò gloriari possumus non vulgare illud esse artis tyrocinium, toties adquamlibet propositam quęstionem paratissimè respondisse. Hîc certè Abelardus ipse metuisset, & forsan obmutuisset ad plurima quę *dicẽda* in subselliis quotidie proponuntur. Optarem vt experiretur quisquis leue censet onus. Sed ne lectorem meum pluribus mórer, idipsum, vt fieri consueuit, appositis exemplis nunc intelligat. Esto itaque disputantium Doctorum aliquis qui me, pro more, sic interroget.

DICES

DICES DOMINE BACCALAVREE.

Quinam ſint Chaldæorum Climacterici, & an ſint metuendi?

QVÆRIT à me ſapientiſſimus præceptor, *quinam ſint Chaldæorum climacterici, & an ſint metuendi?*

Varia ij anni ſortiti ſunt nomina; dicuntur enim climacterici, hebdomatici, genethliaci, natalitij, critici, &c. A. Gellius cap. 10. lib. 3. *noct. Atticar.* arbitratur hos annos dici climactericos, propter pericula quæ Chaldæi *climacteras* appellãt, & ſeptimo quoque anno hominibus imminent. Alij à nomine Græco κλίμαξ deducunt, quaſi ſcalares & gradarij; quam etymologiam reſ-

ſpiciens Plinius cap. 49. lib. 7. *homines ſcanſili annorum lege occiduos dixit.* Sed vnde vnde dicantur, ij intelliguntur in quibus inſignis contingit ætatis temperamentique mutatio, cuiuſmodi notantur omnes ſeptenarii à Cenſorino lib. *de die natali*, ipſoque Hippocrate qui non vno loco ait vitam hominis ſeptenariis moderari: propriè tamen ii putantur climacterici qui à 49. anno numerantur, quòd tum ſenſibilis fiat virium imminutio & inclinatio, adeò vt Autumnus vitæ humanæ meritò videatur. Horum veritatem multorum clades atteſtatur. Sed de cauſa non conſtat. Aſtrologi eandem dicunt eſſe rationem hominis in vtero latentis, & in lucem editi: ex quo probant quòd quemadmodum fœtus in vtero regitur à ſeptem planetis qui ſeptem primis geſtationis menſibus præſunt; ita & poſt or-

tum ab iiſdem regatur, non quidem per menſium ſeptenarios, ſed annorum: verùm iſta ſententia omnia ponit, nulla probat. Alij ex comparatione dierum criticorum cum annis climactericis, & Lunę cum Saturno, eorum cauſam aſtruunt, dicúntque ex Ptolemæo Saturnum in generalibus annorum decretis idem momentum habere, quod Luna in diebus, cùm ille non minus fere ſpatiũ proprio motu vno anno conficiat, quantum hæc vno die: quemadmodum igitur ipſa ſeptimo quoque die in locis quadratis poſita dies criticos efficit, ita & ille ſeptimo quoque anno annos climactericos. Quæ ſane ratio aliqua eſſe poteſt, ſi ſtet Galeni doctrina de diebus decretoriis. Sed cùm

Nil agat exemplum quod litem lite
reſoluit:

Nobis aliud iaciendum eſt funda-

mentum, & cum philosophis ac medicis statuendum in primis naturam sapientissimam, quæ Dei veluti manus est, nec casu nec temerè, sed certo ordine suas edere functiones, cuius vires in agendo & resistendo, certis terminis contineantur & mensurentur. Ita Aristot. lib. 3. de generat. animal. cap. 10. vbi ait, *quod secundum naturam est, ordinem semper habet.* Et 8. Physic. text. 15. *natura est causa ordinis, nihil enim inordinatum est eorum quæ naturâ & secundum naturam fiunt.* Ita etiam Galenus passim, maximè cap. 2. lib. 2. de diebus critic. his luculentissimis verbis. *Quanta est naturæ prouidentia, quantus ordo & ornatus in motionibus suis, animalium generationes, ortus & incrementa indicant siquidem cuiusque animantis conceptui suum statutum est tempus, naturâ scil. semper ordinatos motus seruante. Post ortum etiam animãtia singula cre-*

ſcunt, perficiuntur, atque declinant, idque præfinitis temporibus. Eſt enim natura in nobis quædam res ordinata, quæ quidem vbi ſuperauit materiam, proportionibus quibuſdam certis ordinatiſque periodis ſuas motiones perficit. Hactenus ille. Igitur natura principium eſt & cauſa ordinis quem conſtantiſſimè ſeruat, non Saturnus, non Luna, aut quælibet alia cauſa externa: neque verò quicquam agit numerus, ſed per numerum natura ſi non impediatur. Quod autem illa ſeptenarium potiùs ſibi delegerit ad ſuos motus definiendos, eúmque vt omnium perfectiſſimum ſibi præſcripſerit, docet Hipp. lib. de ſeptimeſtri partu & de principijs *; Galenus de diebus decret. alijque quotquot ſunt elegantiores phyſiologi, adeóque ipſa omnium magiſtra experiētia. Atque vt ad rem veniamus, cùm *vita hominis ſeptem ſit ætatum, ὁ δὲ αἰὼν*

* Eiuſdem periit liber de ſeptimanis cuius mentionem facit Gal. com. 5. in text. 5. lib. 6. epid.

ἐστι τοῦ ἀνθρώπου ἑπταήμερος, vt exponit eruditiſſ. Talentonius cap. 2. lib. 4. *reconditarum rerum*, qui ἡμέραν ex Budæo ætatem ſeu ætatis tempus interpretatur: cúmque natura per annorum ſeptenarios, in quibus maximè mouet, ipſas etiam ætates diſterminet, ex Iulio Polluce cap. 1. lib. 2. Philone Hebræo in libro *de mundi opificio*, & ſuprà laudato Cenſorino: quid mirum ſi tùm maximè periclitetur homo? ſi quidem ætas nihil aliud eſt quàm inſignis atque (vt loquitur Ariſt.) in contrarium ſponte facta temperamenti mutatio: quòd ſi natura externas ægrè ferat, quantò magis internas? præſertim vbi ille priorum ætatum vigor iam remiſſus eſt. Omnium verò periculoſiſſimus eſt annus 63. quòd ille finis ſit crudæ viridiſque ſenectæ, & principium effœtæ. Deinde cùm ex Ariſt. lib. de reſpir. in genere tres ſint vitæ

partes ni. augmentum, consistentia in quâ videl. nulla sit sensibilis mutatio, & decrementum; cúmque augmentum tribus primis annorum septimanis finiatur, consistens ætas tribus sequentibus, decrementum postremis: hinc fit vt 63. annus decrementi terminus sit respondens incrementi principio, ac proinde maximè metuendus. vnde non abs re D. Augustus apud Agellium cap. 7. lib. 15. ad Caium nepotem suum scribens sibi gratulari cupit quòd eum annum euaserit, eius verba hæc sunt melle suauiora, *Aue mi Cai, meus ocellus iucundißimus, quem semper medius fidius desidero, cùm à me abes: sed præcipuè diebus talibus qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium; quem vbicumque hoc die fuisti, spero lætum & beneualentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam vt vides* κλιμακτῆρα

communem seniorum omnium, tertium & sexagesimum annum euasimus. Et hæc, vt opinor, satis pro temporis angustiis ostendunt quinam sint climacterici, vtque nō vana sit eorum persuasio & anilis metus, quorum quippe periculum imminet ab intrinsecâ eâque necessariâ temperamenti mutatione: Ita tamen vt non omnes eadem calamitas vrgeat, sed alij faciliùs alij ægriùs eiusmodi mutationes ferant, provt varia est singulorum natura.

DICES DOMINE BACCALAVREE.

An mulier sit solum animal menstruale, Lunare, & cur?

QVÆRIT à me sapientiss. præceptor, *an mulier sit solum animal menstruale, Lunare, & cur?*

Huic assertioni refragari videtur Arist. cap. 18. lib. 6. de hist. animal. vbi de quadrupedibus viuiparis verba faciens ait, *menstruorum quoque purgationes eueniunt his animalibus, sed nulli æquè ac mulieri.* Et paulò post bobus & equabus menstrua tribuit. Verùm doctissimus æquè ac subtilissimus Cæsar Scaliger in eum locum rectè admonet dici καταμήνια æquiuocè: cùm nulli animalium eueniant tantæ & tales purgationes,

Vel. 17. secundum Scalig.

quantæ & quales mulieri: non tantæ quia si quid emittunt alia animalia, pauxillulum illud est: non tales διὰ τὸν καιρὸν καὶ τὰς τοῦ καιροῦ περιόδους; nulli enim singulis mensibus vt mulieri profluunt, sed ex longioribus interuallis vt bobus & equabus septimâ quaque hebdomade: hinc Arist. ait, *equam bouémque concepisse deprehendunt, cùm altero iam mense, aut quarto, aut sexto, menstrua deficere animaduertunt*: non verò dixit primo mense aut secundo, seu singulis mensibus, vt ibid. notat Scaliger. Vnde satis patet menstrua ὁμωνύμως tantùm ibi esse accipienda, ac proinde ea soli mulieri (non tamen omni) competere. Mulabus quidem, si periodum spectes, menstrua sunt; si humoris concretionem & exitum, non sunt: neque enim cruenta excernunt, sed vrinam quãdam crassiorem. Quod autem Arist.

dicit initio cap. 2. lib. ſequentis, paucis mulieribus euenire vt quot menſibus purgentur, ſed tertio quoque plurimis; id meritò falſum notatur ab eodem numquam ſatis laudato Scaligero, niſi fortè Græcis mulieribus hoc contingat. Porrò huius in mulieribus frequentioris & largioris fluxus cauſas adducit Ariſt. cap. 2. lib. eiuſdem, ni. quòd eiuſmodi materia in aliis animalibus abſumatur, vel in corpus, vel in ſquammas, vel in pennas, vel in pilos, vel in vrinas quas craſſas & copioſas profundunt: vel denique quòd maiore motu & corporis agitatione diſſipetur. Omnes autem hæ cauſæ non ſufficiunt Scaligero; neque enim rationem reddunt cur potiùs menſtruetur fœmina quàm mas. Quare nos cum ipſo dicimus menſtruorum rationem à quantitate ſanguinis omni-

no esse repetendam, adeóque mulieri & frequẽtiùs & copiosiùs fluere, quia omnium homo est maximè sanguineus: atque hanc esse rationem euentus menstruorum à forma hominis quæ tantam materiam exigit. Causa autem finalis distinxit mulierem à viro: quoniam vir ijs opus non habebat, ad alendum fœtum quem non esset gestaturus. Itaque datus est viro à naturâ calor vegetior qui sanguinem percoqueret, reduceretque in spiritus plurimos ad intellectionem: fœminis verò minor ac debilior non conuertit tantùm sanguinis in spiritus, qui proinde redundans, in menstrua abit alendo fœtui dicata: vnde & intellectu minùs valent fœminæ quàm viri; & cerebrum paucius capútque angustius obtinent; contractiorem denique thoracem

propter minorem in ſuperioribus illis partibus caloris ἔκλαμψιν: inferiores contra habent vaſtiores & craſſiores præ copiâ crudioris ſanguinis ima ſemper petentis. Et hæc, vt opinor, vera eſt cauſa cur fœminis tantùm fluant menſtrua, & cur largiùs ac frequentiùs hominibus quàm cæteris animalibus. Sed cur non quotidie fluunt quemadmodum alia excrementa? hîc iterum ad ſingularem naturæ prouidentiam, cauſámque finalem recurrendum eſt. Quod autem ſingulis potiùs menſibus quàm hebdomadis aut alio definito tempore id contingat, cauſam referimus in Lunam cum Ariſt. hîc & 2. ac 4. de generat. animal. nimirùm quia Lunæ motu & lumine maximè mutatur aër, & humor hic inferior paret ei, vt longâ inductio-

Sic maria cùm intumescant calore Lunæ in plenilunijs, eodem cessante quasi sponte detumescunt.

ne probari facilè posset. Quare humor in muliere qui cum Lunâ creuit, vbi à calore naturali euinci non potest, post aliquot dierum pugnam, videl. decrescente Lunâ, expellitur; neque tum Luna defecta lumine potest fouere quam aluit humoris copiam. Idcirco vltimâ Lunæ quadrâ ex sua natura redit fluxus muliebris, nisi aliunde impediatur. Cur autem mulieres frequentiùs aberrent; in causa sunt, præter alia impedimenta, tempora partuum: Namque si contingit vt puerpera in plenilunio purgari desierit, altero plenilunio repetet fluxus præter consuetum naturæ ordinem, qui ideò ex viduis potissimùm spectandus est, quas constat decrescente Lunâ plerumque purgari. Ex quibus patet quâ ratione Luna mulierum men-

ſtrua promoueat ſingulis menſibus, quámque rectè mulier dicatur ſolum animal menſtruale, Lunare, & cur.

HIS alterius anni quodlibetarijs actibus ſucceſſerunt reliqui Cardinalitij à Cineralibus ad feſtum Paſchatis celebrati.

Emenso

EMenſo ſuperioris biennij ſtadio, tandem ex ſubſellijs emerſimus, noſque ſiſtimus in ſcholis ſuperioribus coram Doctoribus à Dom. Decano ſpeciatim ideò conuocatis, à quibus petijmus vt ad examen particulare admitteremur. Illi itaque communibus ſuffragijs nos ad hoc poſtremum de praxi medendíque methodo examen admiſerunt, quod deinde in priuatis ſingulorum Doctorum ædibus pro more ſubiuimus.

Conuocatis iterum Doctoribus poſtquã examẽ illud particulare ſubiuimus, communibus eorũdem ſuffragiis admiſſi ſumus ad Licentiarum gradum; ac ſubinde interiectis aliquot diebus, ductore & quaſi fideiuſſore digniſſimo Scholæ Decano, apud ampliſſimum Vniuerſitatis Cancellarium nos ſiſtimus, vt eos ipſe recognoſceret, quos ad hunc gradum eſſet promoturus ſuáque benedictione fœlicitaturus. Ille igitur habitâ graui oratione de artis dignitate quam profiteri vellemus, nobiſque pro exantlatis laboribus gratulatus, Paranymphum promiſit miſſurum ſeſe ad nos propediem, qui & me-

ritis laudibus ac elogiis emeritos Baccalaureos condecoraret, & diem denunciaret quo tandem Licentię gradum suo beneficio atque munere susciperemus. Neque certè promissis defuit. Disertissimũ enim Oratorẽ designauit qui vtrúmque paulò post cumulatè præstitit. Interim nos ad hanc Paranymphi solennitatem pro more decuriatim inuitauimus supremum Senatum, cæteróſque amplissimos Vrbis Ordines; & cùm plures essemus, hęc officia inter nos diuisimus. Vnde ego duas tantùm habui eiusmodi orationes inuitatorias, vnam apud supremos rerum capitalium Iudices, quorum decuria vulgò *Turricula* vocatur, in quâ tum infulatus Pręses sedebat Illustrissimus vir D. *Le Bailleul* qui nos pari oris maiestate & humanitate excepit: Alteram apud Basilicanos alterius decuriæ Recuperatores, quæ *secunda Requestarum* appellari solet, cuius primus Pręses amplissimus vir D. *Vialar* nos pariter humanissimè admisit. Vtrasque hîc typis mandare non dubitaui publicęque luci tradere, quæ tantam essent iam expertæ.



ORATIVNCVLA PRO inuitatione Paranymphi Medici.

Apud ſupremos rerum capitalium Iudices in Pariſienſi Senatu dicta die 25. menſis Maij anno Domini 1630, qui eſt tertius noſtri ſtadij.



VEREOR equidem (Præſides ſanctiſſimi, Senatores integerrimi) ne ſeſe nimiùm exerentis audaciæ videatur interpellare curas veſtras publicis rebus intentas & pro ſalute communi excubantes. Cuius enim oris putabitur ex ſupremo hoc tribunali in quo armata ſedet Themis, & Dei vice mortalium crimina vindicatis, ad infima ſcholarum ſubſellia euocare? Nam vt ad Di-

uos religiosè, ſic ad principes viros timidè decet accedere, ne improbè rogare potiùs, quàm piè colere videaris. Sed dum cogito quantâ beneuolentiâ conſultiſſimum Pariſienſium Medicorum ordinem foueatis, quantoque ſtudio illius alumnos promoueatis, impoſitum mihi hoc officij potiùs quàm temeritatis onus putaui, &, arduum licet ac inſuetum, paulò confidentiùs ſuſcepi: vtinam ſuſtineam atque poſſim illorum votis reſpondere qui nihil antiquius habent quàm vt veſtram Amplitudinem religioſo obſequio colant ac venerentur. En igitur delecta emeritorum Baccalaureorum iuuentus quæ poſt varios ſtudiorum gradus tandem ſiſtitur ante veſtrum Senatum, vt non niſi conſentientibus Dijs eximium medicinæ hîc & vbique terrarum factitandæ ius conſequatur, & le-

gitimum ſaluberrimæ veſtræ facultatis Pariſ. partum agnoſcatis. Façite, quæſo, ne fruſtrà ſit hoc nobis conceſſum tantæ facultatis priuilegium, citra quod nemini liceat in veſtro orbe præſtantiſſimã artem exercere. Neque enim publicę ſalutis & incolumitatis, cuius cura potiſſimùm vos tãgit, parùm intereſt, eorum qui ad medicinam faciendam accedunt delectum habuiſſe & induſtriam probaſſe. Quod tamen cùm in cæteris minoris momenti artibus huc vſque inuiolatum permanſerit, vix hodie, non ſine magnâ multorum clade, in Medecinâ locum habet. Núc quippe ferè ſufficit ad Medici famam montes aureos ex theatro polliceri, aut malo Semini exotico magna nomina tribuere: & quò quis impudentior eſt, dum modò inconditè loquatur ac idioma peregrinum

ſonet, eò maiorem apud populum, atque etiam apud Magiſtratus pleroſque, fidem & gratiam inuenit. Sic veriſſimum illud Antigoni Regis apophthegma experimur τὰ μέγαλα καλὰ, αὐτῶν μεγάλων κακῶν σύνεστι): Quæ in hominum ſalutem inuenta eſt Medicina, hodie imperitorum audaciâ vertitur in perniciem. Vos (iudices æquiſſimi) quorum eſt putida Reip. membra reſecare, ne ſinite hanc gangrænam latiùs ſerpere. Hîc vbi celeberrimum eſt Medicinæ emporium, Empiricorum theatra in publico eriguntur, Chymiſtarum fumi venduntur, & tartarei pulueres ægris ingeruntur; denique deplorando temporum fato cum diuino Hippocrate & admirando Galeno temulentus Paracelſus comparatur: &, quamquam profanæ illius ac impiæ doctrinæ promulgatores non

ita pridem de vestro cœlo percus- serítis, perpetuóque exilio damnaueritis; etiamnum tamen docent, impunè grassantur, & suo stibio atque Mercurio, cuius numen maximè colunt, ceu occultis naturæ miraculis, morborũ omnium remedia sese tenere iactant: ex Hippocratis censurâ venefici potiùs quàm medici, qui proinde apud vos maximè deferendi videntur. Sed aliàs dabitur magis opportunum de his expostulandi tempus. Nunc, vt ad nos redeam, ego communi omniũ nomine purpuram vestram adoro, & hisce templis emensi biennis curriculi trophæa appendo, hoc solùm pretiosa quòd vobis sint dicata. Nihil triumphos moramur quos non decreueritis atque conspectu vestro decoraueritis. Magnum sanè est coram laudatis viris laudari, at maximum coram iis penes quos est

ſummum actionum humanarum arbitrium. Verùm id optandum potiùs quàm petendum, imò metuendum ne ad tantæ æquitatis trutinam exacti, inconſultæ petitionis atque temeritatis pœnas luamus. Etſi hîc ſe explicet veſtra, quæ ſingularis eſt humanitas: Quis tandem ad tantum lumen non conniuebit? Quæ Aquilæ tot ſyderum ſplendorem ſuſtinebunt? Ignoſcite mihi (Iudices grauiſſimi) non tam nobis vos præſentes opto oroque, quã diſertiſſimo Encomiaſtæ qui totus gemmeus eloquentiæ ſuæ opes tunc explicabit, in maximâ luce tantò magis emicaturas. Illæ tamen cùm in nos exundare debeant ac diffundi, quid mirum ſi in hoc laudum noſtrarum apparatu, veſtri Senatus Solem atque ſplẽdorem quęrimus? Qui terrori malis eſſe ſolet & ſceleſtis, ille idem præcipuò nobis erit

fauori si quidem vos exorari permiseritis. Quare adeste (summi sacræ Themidis vindices) ac votis nostris quamuis audacibus indulgete. Erimus in cœlo si de vestro ad nos descẽderitis, nostrámque panegyrim die crastini in scholis Medicorum celebrandam, vestrâ præsentiâ ornare illustriorémque reddere non fueritis dedignati.

POSTQVAM dixi, amplissimus Preses Dom. Le Bailleul sublimi ingenio & πολυμαθείᾳ æquè ac dignitate eminentissimus, non minùs eleganti atque accuratâ quàm graui oratione, nos ad rectam & Dogmaticã medicinæ faciendæ rationem hortatus est, qualem deceret Medicum Facultatis Paris. à cuius saluberrimâ doctrinâ ne vmquam disccederemus præcipuè iniunxit: Cæteroquin charitatem coleremus & pauperes atque egenos nostrâ operâ nostrisque consiliis humaniter iuuaremus. Hinc indignatus ipse aduersus pseudomedicos & doctores cir-

cumforaneos, ſtudia noſtra & ſubſellia laudauit, pollicitus ſe vniuerſoſque amplisſimi Ordinis Patres Conſcriptos nobis numquam defuturos.

ALTERA INVITATIO,

Apud Libellares ad Baſilicam Recuperatores in Pariſienſi Senatu eodem die dicta.

EA eſt rerum viuentium natura atque conditio (Præſides ampliſſ. Senatores æquiſſ.) vt quæ perfectiſſima & in longum ætatis tempus duratura oriuntur, tarda habeant generationis principia & incrementa, nec niſi lento progreſſu perficiantur abſoluanturque; cęteroquin præcipitata diuturna eſſe non poſſint. Sic inter fructus qui horarij & præcoces primâ æſtate mатureſcunt, omnes ſunt fugaces:

Autumnales contra & serotini, ad reponendum idonei atque conditiui, hyemem integri sustinent. Sic animãtium viuaciorum fœtura non paucorum est mensium, imò aliquot annorum in quibusdam si Plinio * credimus: Et Heroes apud Homerum non nisi confecto aut saltem affecto * anno nascuntur. Ita sanè in omnibus tantò diutius suum opus meditari & adornare videtur natura, quantò maius molitur. Hoc sapientissimæ naturæ instituto Parisiensis Medicinæ Facultas Saluberrima, non abortiuos partus & trimestres, vt cæteræ solẽt, sed biennes in publicam hanc lucem edit & emittit. Diù antea in eius gremio & sinu latentibus vberrimum alimentum & vires optima parens suffecit, vt deinde fœliciùs ex maternis claustris & vmbraculis erumperemus. Iaceremus tamen effœti

* Cap. 10. lib. 8. vbi de Elephãtis agit.

* Vide A. Gell. cap. 16. lib. 3.

miniméque vitales nisi nos vestra humanitas, velut olim Leuana Dea exciperet, recrearet, reficeret. Quàm faustus & fortunatus nobis verè natalis hic dies affulget, in quo tantus benigniorum syderum concursus consentit & conspirat! Respicite modò nascentes, diuino afflatu beate, vestróque conspectu tantisper frui sinite: vel certè hanc gratiam Matri concedite, vestræ (inquam) Saluberrimæ Facultati, quæ nouâ prole aucta, & lætum festũque diem crastinũ celebratura, vestra numina inuocat, simul & publicâ istâ acroasi se suósque alumnos vobis & Reip. vouet ac consecrat. Illa vos nunc libertatis suæ vindices appellat, quos optat & agnoscit iudices. Vestram asserite in sua iura, & interim dum nos ex refertissimis Græcorum, Latinorum, Arabumque fauis, syncerum

mel eruimus, *ignauum fucos pecus* ab hâc Ciuitate arcete. Neque verò hîc laborum metam ponimus, imò potiùs triumphus noſter, cuius vos ſpectatores optamus, futurorũ erit auctoramentum; quos diſertiſſimus Encomiaſtes, vaticinantis modo, tamquam præteritos vſurpabit prędicabitque. Quod ſi affueritis veſtráque præſentiâ pompam auxeritis, illâ eâdem nos non parùm ad anticipatas laudes aliquando promerendas obligari ſentiemus. Sed ô fœlicem neceſſitatem quæ ad meliora coget! Vos igitur (Iudices grauiſſimi) qui libellorum ſupplicum Recuperatores ex ſupremo hoc tribunali ſedetis, ſupplicibus annuite, adeſte craſtinæ celebritati, vel ſi non ore ac linguis, ſaltem animis fauete.

HIc amplissimus Præses Dom. Vialar de Musis & Apolline æquè ac de sacrâ Themide optimè meritus, pręclara effatus de artis quam coleremus dignitate ac difficultate, nos quoque vt eius studio sedulò incumberemus, cohortatus est, atque ne quid Medico Parisiensi indignum committeremus. Cæteroquin sibi totique Curiæ acceptissimum fuisse officij nostri obsequium humanissimis verbis fauorémque testantibus significauit.

DIcto igitur die, rebus omnibus ad pōpam cōpositis, ad nos ab Academiæ Cancellario accessit eloquētissimus omniq; laude cumulatus Orator D. Richerius coccinatus * ostroque fulgēs, lato-clauo * pelliculato spectabilis, & acceptā ab ipso D. Cancellario infulā sericeā funiculoque aureo circūdatam sinistrâ manu gestans: Qui *os humerosque Deo similis*, facto frequenti auditorum concursu, modos fecit, cecinit & vtrâque linguâ dixit; primùm quidem de gem-

* Vulgo cappatus diceretur.
* Ita latumclauū interpretatur Acro. in Horat.

mis in genere multa, præclara & recondita; deinde verò λόγιος quasi de Λογίῳ ſummi olim Sacerdotis, ſingulariter de tredecim omnium pretioſiſſimis, quas nobis ſigillatim attribuit, enarratis & decantatis, ſingularibus oratiunculis, vniuſcuiuſque laudibus.

Mihi profectò nominis potiùs quàm meritorum ratione Opalum dedit annuli coniugalis vmbone incluſum, verum Paranymphi munus implens nuptiarum auſpex, quas, medicinâ mihi deſponsâ, veluti per confarreationem ſanciuit. Poſt nuptias, vota & munera, ſchedulam (vt cæteris ſolebat) per Bidellũ ſeu Scholarum apparitorem miſit, in quâ hæc erant ſcripta, *Compareas Magiſter Victor Pallu die craſtinâ vigeſimâ ſeptimâ Maij in aulâ Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Archiepiſcopi Pariſienſis, horâ decimâ matutinâ, gradum Licentiæ in Medicinæ Facultate per Dei gratiam ſuſcepturus.*

Ex mandato Domini Cancellarij.

Quibus à me publicè lectis, incepi.

GRATIARVM ACTIO.

Ad disertißimum laudum Enarratorem & Præconem Petrum Richerium in scholis Medicorum habita die 26. Maij ann. Domini 1630.

ACCEPTA & perlecta hæc schedula (clariss. consultissimique Medici, Auditores ornatiss.) dubiũ admonet me eum esse quem disertissimus Orator in isto frequentissimo celeberrimóque consessu magnificis encomiis iam iam celebrarit. Neque profectò meipsum agnouissem, cùm à me tantùm dissimilis effictus, nihil meum præter solum nomen inueniam. Ita enim, *exigua ne frænaret materia impetum*, eandem splendidæ orationis copia auxit, naturamque ars superauit:

Ita

Ita (inquam) ſtylo potiùs quàm veritati indulgens alienos vultus induxit eximius dicendi Apelles; vt certè totum me penitus ignorem. Appoſitè quidem omnia vt ſoles (mi Richeri) & affabrè elaboraſti, ſed ex opere tantùm æſtimanda. Tua quippe tam diues eſt facundia & accurata eloquentia, vt quicquid tetigeris numquam non polire & conſummare videaris. Ignoſce, quæſo, ſi ego hac in parte fidem tuam appello: non meæ ſunt iſtæ virtutis laudes; non mea tot facinorũ encomia; * non in me iſta acroamata; non voces cadunt, accipio in vota, quæ vtinam ventura ætas impleat: Durum tamen onus viribúſque impar mihi impoſitum pene accuſo: verùm habuiſti rationem dignitatis non perſonæ, & omnia debeo humanitati tuæ quæ me talem præſtitit qualem eſſe decet.

* ἔπαινοι ϗ ἐγκώμια, vt differãt, vide apud Ariſt. lib. 1. Rhet. cap. 9 & lib. 1. Ethic. Nicom. cap. 12. Item apud Cælium cap. 5. lib. 7. lect. antiq.

Religiosum Hygiæ cultorem velut supparem sponsum laudasti & solenni verborum pompâ extulisti, vt non tam facti quàm debiti officij merita exponeres, méque ad spem tantarum laudum hoc quasi incentiuo prouocares. Sic in Cyro Xenophon optimi principis & præstantissimi regis numeros omnes absoluit: Sic Romanæ eloquentiæ parens inducto Crassi exemplo Oratorem consummauit, cuius tamen personam nemo post hominum memoriam cumulatè sustinuit: nisi tu hodierno die ille ipse Crassus existis qui omnium plausus excipis, nósque quales lubet, formas & fingis. Verum enimvero ne solis verbis nouum & peregrinum amatorem inuitares, muneribus præterea cumulasti, quibus cum fœlix mei nominis omen coniunxisti, dato in coniugale fœdus *Opalo palâ incluso*. Quin

etiam nuptias celebrasti Panegyricas, in quibus, vt nihil ad veritatem deesse videretur, omnes collegisti dicendi Veneres & Cupidines; eloquentiæ flores odoréſque ſparſiſti, & faces prætuliſti, illa (inquam) inſignia orationis lumina quibus torpentes animos inſtigas atque ad gloriam accendis. O fœlix Baccalaurei cum Medicinâ connubium te Paranympho & auſpice! Quid ceſſo mihi gratulari? qui talem laudum præconem inuenerim, vel hac parte Homero maiorem, quòd ſis locupletiſſimus ſine Achille encomiaſtes: Ita ſanè quod Plinius alicubi de naturæ maieſtate, dicam ego de tuâ ſingulari facundiâ, quippe quæ nuſquam magis tota quàm in minimis apparet. Iámque mihi videor altiores è cœlo ſpiritus ducere; iam nihil abiectum aut humile meditor; iam denique

Visum ſpirant præcordia Phœbum.

Suidas eius meminit.

Hiſtoriarum monimentis celebratur clariſſimus tibicen Timotheus Mileſius, cuius ſono excitatus Alexander Magnus à menſâ ad arma proſiliebat: Tuus longè ſuauiſſimus cantus me à menſis ad Muſas, & ab humanis ſtudiis rapit ad heroica. Ecquis tandem non trahatur aureis ſermonis tui catenulis ? Quis non capiatur illecebris ? Mihi profectò præ illius puritate & nitore adamas ſordet; præ ſuauitate mel amareſcit; præ modulatis & cadentibus in numerum periodis, muſicorum omnium melos raucеſcit: ſic ſunt

Iouis omnia plena.

At tandē (diſertiſſime Encomiaſtes) tibi quas agam grates, neſcio: ſufficiat meminiſſe quòd nullis meis pro uocatus meritis, me verbis adeò honorificis & exquiſitis titulis, in hac ſelectiorum hominū luce & frequē-

tiâ, nunc decoráris. Erit vtique prę-cepta isthæc & afficta gloria parænesis ad verā, quam si aliquando cō-sequutus fuero, omnē tibi acceptā referam, vt reddam beneficiū quod remunerari non potest. Taceo addita quasi parerga cætera quę commendas bona, nam si quæ sunt, fortunæ sunt, non mea. Hoc vnum minimè prætereundum est mihique in maximis ducendum, quod Medicinæ nomen meum dederim in hac potissimùm facultate quæ Galeno-Hippocraticæ, hoc est, veræ atque dogmaticæ disciplinæ vindex, tantùm inter alias caput extulit,

Quantùm lenta solent inter viburna
Cupreßi.

Hæc quippe est scholarum metropolis cui cæteræ assurgunt, & in quâ ius ciuitatis tantæ est æstimationis, vt non nisi eximiâ virtute

multóque ſudore ac puluere emi poſſit & comparari. Neque ſane vna vertigo Quiritem facit. Totius biennij certamina ſuſtinenda ſunt & examina ſubeunda, quibus certè nemo niſi probatiſſimus admittitur. Toties in hoc cāpo (cuius vel puluis eruditus eſt) propugnandū & oppugnandū: toties in arenâ conſiliū capiendū eſt, & animus præſens oſtendēdus: vt non niſi per arduos experimentorū gradus ad hoc honoris faſtigiū fas ſit aſcēdere, ad quod ambitus aut fauor nullos euexit, ſed maturum cōſummatúmque ſtudium & parta meritis gratia. Ecquis miretur tam ſeuerâ lege, ex hac ſcholâ, velut ex Chironis antro, tot illuſtres viros prodiiſſe atque in dies prodire? qui ingenij atque doctrinæ laude præſtantes, orbi ſalutem, ſibi immortalitatem pepererunt. Arduum profectò eſſe oportet nec

omnibus accessum ad hanc Corinthum iter, quæ non nisi Homerica exempla suppeditet, nulla Cherilea. Non est operæpretium eos citare testes quos præsentes alloquor & video, nisi me suo lumine occæcant tot primæ magnitudinis salutares stellæ, quarum splendor vniuersum Medicinæ cœlum illustrat, nebulosum Chymistarum Mercurium & caliginosum Solem obscurat ac offundit, atque tenebricosos eiusmodi ciniflonum fumos dispellit & dissipat; quas illi proinde vt canes Lunam allatrant. Sed vereor ne tam fœda malè feriatorum hominum mentio hodiernæ diei lætitiam polluat, in quâ optatam longi curriculi metam attingimus, & honorificum confectæ militiæ auctoramentum recipimus. Atque, vt de me loquar, quàm mihi gloriosum est in his cultiorum Musarum

castris meruisse! Quàm me laborum non pœnitet quos tãta merces fœliciter excipit! Iam ego in amplissimũ vestrum ordinẽ ascribendus sagum depono, vt purpuram & latum clauum induam. Præclarum per Deum immortalem ornamentum & opulentum præmium! vincit me & pene ingratum facit muneris magnitudo, cui quod opponam, nihil habeo, non si totius Tarraconensis rex forem: neque si ipse Tullius suggereret, verba suppeterent quæ tantis beneficiis respondeant. Hîc cogor (Præceptores mihi æternùm obseruantiss.) animi sensa silentij velo inuoluere, atque Timantem imitari in cuius operibus plus intelligebatur quàm pingebatur (vt ait Plinius;) nam quicquid dixero, minus erit. Vtinam mihi centum forent ora totidémque linguæ quibus

debitas ſingulis veſtrûm gratias poſſem habere; in primis digniſſimo huius ſcholæ Decano Petræo quo gubernatore in puppi ſedente clauúmque tenente curſum confecimus, Syrtes & ſcopulos ſuperauimus, Ac tandem in portu nauigamus. Tu nobis, vir Clariſſ. ceu Caſtor & Pollux benignis radiis continuò affulſiſti, tu ſuborientes tempeſtates ſerenaſti, & fluctuantes ita direxiſti, vt meritò votiuam hanc grati animi tabulam nunc tibi reddam ac perſoluam. Sed quid curſum appello vbi tamdiu ſtetimus, tamque conſtanter pugnauimus? Dij præſides affuere. Hîc ego galeatam vidi Palladem vel potiùs Apollineum Martem, Guenaldum, inquam, qui me, vt Venus Æneam inter medios hoſtes ſeruauit.

---*Quo thure tibi nunc diue litabo?*

Tu triumphali lauru recens coronatus primus Tyrunculum me ſub tuis auſpiciis recepiſti, tantâ cum humanitate, vt dubitem potiorne in te ſit Muſarum an Gratiarum cultus. Iſtâ tuâ ſingulari comitate ſimul & doctrinâ conatus meos ſic adiuuiſti, vt quæ ardua viribúſque maiora antea videbantur, tuo ductu tandem ſuperarim. Primus congreſſus animos addidit ad ſecundum. Quare ſi quid in iis fœliciter ceſſit, id totum tibi acceptum refero, neque vmquam apud me peribit tanti beneficij memoria. Tene præteream, docte Boujonneri? qui me in medio puluere prope deficientem non vulgari beneuolentiâ excepiſti, recreaſti, fouiſti. Tuo præſidio ceu Aiacis clypeo tutus nouũ conflictum ſuſtinui: tuâ virtute euaſi. Pręfuiſti progreſſui qui in duro illo quatridui examine affueras ingreſſui.* Te vbi-

* Is quippe tũ electus examinator fuit.

que præſens numen inueni: Cui proinde æternum cultus & obſequij ſacramentum hoc ſolenni die ſpondeo & voueo. Tandem ad te venio (Perrelle non minùs tuâ quàm parentum virtute clariſſime) qui tot me benefactis cumulaſti vt plura ſuperſint quàm poſſim recenſere, adeò ſatiùs fuerit omnia tacere, quàm aliquorum enumeratione cętera obliterare. Ne, quæſo, veſtrûm aliquis putet auribus dari quod tribuitur veritati. Quod filius patri, hoc ego tibi, Perrelle, debeo, vt non iniuriâ poſsis quicquid meum fuerit, tibi vendicare:

Facit parentes bonitas non neceſsitas.

Phædrus in fabella canis ad agnum.

Tuus eſt quem tanto ſtudio excoluiſti, inſtituiſti, & ſi non formaſti, ſaltem iis informaſti quæ ad fœlicitatem viam muniunt. Nihil denique prætermiſſum voluiſti quod me

quoquo modo iuuaret, aut ſtudia mea promoueret. Quid plura? ſi domi aliquam literis operam impendi, tuam coniunxiſti; ſi in hoc Apollinari campo certaui, Colophonem addidiſti. Pro quibus ſummum quod habeo pretium perſoluo tibi. Accipe igitur obſtrictam deuoti animi fidem, hiſque fruere votis, *Viue fœlix, atque tibi, quos aliis prorogas, Deus addat annos.* Hîc me (Præceptores ſapientiſſ. mihique ſummopere colendi) lex duodecim tabularum à cæteris reuocat cogitque ſubſiſtere, quâ confeſſi æris ac debiti iudicatus, creditoribus addicebatur, ita quidem vt, ſi plures eſſent, omnium ex æquo ſeruus foret; niſi mallent, pro ratione crediti, corpus addicti ſibi hominis ſecare & partiri: Eadem enim lege nunc ego veſter ſum quem tot nominibus obligatum & deuinctum omnes te-

Hinc illud, qui non in ære luat in cute. De hac lege vide A. Gell. cap. 1. lib. 20.

netis. Iam itaque, vt vestrum debitorem singulis diuidendum nolitis, vniuersis mancipatum habete, seruate. Dixi.

POstero igitur die, postquam ex Doctorum suffragijs à dicto D. Cancellario collectis, Licentiandorum ordo descriptus est; vocatis eo ordine singulis, Licentiæ gradum adepti sumus procumbentes in genua, his à D. Cancellario, auctoritate quá fungitur, conceptis verbis, *Impertio vobis Licentiam & Facultatem legendi, interpretandi, & faciendi Medicinam hîc & vbique terrarum, in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.*

HInc paucis paulò post diebus Dom. Bazinus primum inter Licentiatos locũ suo merito adeptus, supplicauit Facultati pro Vesperiis & Doctoratu. Quibus celebratis, ego deinde itidem feci. Cùm autem hoc vesperiarum mearum & inaugurationis munus incidisset in D. de Pois, qui tum in primarium Reginæ Maioris Britanniæ Medicum delegatus aberat; ipso consentiente hanc prouinciam D. Perrellus lubens extra ordinem, vt est ad beneficentiam procliuis, recepit: à quo etiamnum impetraui vt doctissimè ab ipso tum propositæ quæstiones, nec non elegantissimæ simul ac grauissimæ orationes habitæ, cum nostris hîc permiscerentur, ad earum perpetuam memoriam & commendationem.

PRO VESPERIIS
M. VICTORIS PALLV IN SCHOLIS MEDICORVM.

DIE MERCVRII VII. Augusti Anno Domini 1630.

An Balneum { *Ante Cibum* / *In Profluente* } *Salubre ?*

IN hoc programmate duæ, vt fieri solet, quæstiones proponuntur dissoluendæ antequam Vesperiarum oratio habeatur. Primam itaque D. Perrellus Vesperiarum Pręses adductis in vtramque partem rationibus proposuit erudito Medicinæ Candidatò Caponio, qui subinde appositè & eleganter problema dissoluit: Alteram verò mihi Vir clariss. Dom. Le Comte qui in inferiore cathedrâ ex ordine designatus sedebat.

QVÆSTIO A D. PERRELLO vesperiarum moderatore proposita.

An balneum ante cibum salubre?

TANTA fuit olim balneorum vtilitas, vt quidam existimauerint Romanos non aliam ob causam sexcentos vixisse annos sine medicis & medicamentis, quàm quòd balneis frequenter vterentur. Et sanè quantum eis tribuerit Galenus, ex eo coniicere licet, quòd dixerit Antiochum medicum octoginta annos vixisse, & Telephum Grammaticum fere centum, non intermissâ lauandi ratione; Primigenem verò philosophum ex sectâ Peripateticâ, quâ die non lauasset, febricitasse.

citasse. Nec immeritò, cùm ante eum celeberrimi quique medici, Cornelius Celsus, Antonius Musa, Andromachus, Ruffus, Erasistratus, inter præcipua remedia balneum habuerint. Quod idem multò ante senserat Hippocrates, qui morbis etiam acutis esse vtile scriptum reliquit. Verùm quia saluberrima quæque abusu ipso noxia fiunt, nihil mirum si ex balneis intempestiuè vsurpatis, innumera oboriantur incommoda, de quibus medici quotidie consuluntur. Hinc factum est vt hodie in animo sit ex te inquirere, (ingenue Candidate) quodnam balneo commodum tempus existimes. Vilis fortasse quæstio videbitur atque humilis, sed eo maximè nomine inquisitione digna, siquidem ex Hippocrate libro de flatibus τῆς ἰατρικῆς τὰ φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι, καὶ τοῖσιν ἰητροῖσι μεγίστοισιν ἐστιν εἰ-

δεῖναι, *Ea quæ vilia putantur in arte medicâ difficile sit cognoscere, idque solis medicis licere.* Ne autem in ambiguo verseris, balneum hîc non accipio pro decima gymnasiorũ antiquorũ parte à Galeno in quatuor cellulas, solia, seu, vt loquitur Cicero, balnearia, distinctâ: à Mercuriali verò exactissimo rerum gymnasticarum inquisitore in quinque; lauationé videlicet frigidã, in quâ frigidæ aquæ lauacra & præsertim piscina, à Plinio Iuniore *baptisterium* dicta, ad natationes posita erant; frigidariũ, in quo statim post egressum tepidarij aut caldarij, frigido aëre frui licebat; Tepidarium in quo aëris vel aquæ vel vtriusque teporem excipiebant; Caldariũ seu laconicũ in quo aëris calore sicco sudorem eliciebant, vnde à nonnullis *calida sudatio*, à Celso verò *assa* nuncupatur; Calidam denique lauationem

quæ Archigeni ζεστόν, à Galeno verò λοῦτρον appellatur, quamquam λοῦτρον Vitruuio frigida ſit lauatio: quod nemini diſſonum videri debet, vtraque enim eodem nomine deſignari poteſt cùm in ambabus homines lauarẽtur. Non ſic (inquã) balneũ generatim vſurpo, ſed nudè & ſimpliciter pro lauacro in aqua ſimplici naturali, non tamen egelidâ frigoriſque nimij quàm ὕδωρ ἀτέραμνον vocant, ſed tepente ſeu εἰλητερὲς καὶ χλιαρὸν θερμασίαν habente: Cuiuſmodi æſtate frequens eſt ἢ καθαριότητος ἕνεκα, ἢ θέας, ἢ ὑγείας, ἢ τὸ τελευταῖον ἡδονῆς; aut ad corpora mũdanda, aut ad tepefacienda, aut ad ſanitatem, aut denique ad voluptatem; quæ ſunt quatuor omnino cauſæ à Clemente Alexandrino cõmemoratæ, ob quas in vſum reuocatum fuerit balneum. Tepidam autem cùm dico, temperatam no-

lim intelligas; ſi quidem temperata non amplius frigida eſt, ſed iam calida; Tepida verò licet Solis ſeu ignis vim paſſa, frigida tamen adhuc remanet, vt videre eſt apud Gal. lib. 3. de medicam. ſimpl. facult. vbi modum docet quo εὔκρατον ſeu temperatam, & quo χλιαρὸν ſeu tepidam facere poſſimus.

Eſtne igitur aquæ tepentis balneum æſtate ante cibum ſalubre? Non videtur. Enimuero commendatur eo maximè ante cibum, vt corporis habitus excrementis tertiæ concoctionis expurgetur, quo deinde aptius ſit corpus ad alimentum excipiendum: At tantum abeſt vt id præſtet ante cibum, vt potiùs frigore aquæ incuneentur atque incraſſentur excrementa illa, cutis dēſetur, pori occludantur, indeque perſpiratio præpediatur, quod maximè cauendum ſcripſit Galenus

paſſim libris de ſanit. tuenda. Salubre verò eſſe à cibo hinc patet, quod calore ob cauſas commemoratas ad viſcera refluente & ſeſe veluti colligente, coctio ventriculi non minimùm promoueatur, eóque magis quod præterea aquæ humiditate placidus ſomnus concilietur, quem ad concoctiones in viſceribus multum conducere nemo neſcit. Quod ſolitum ſe facere refert apud Oribaſium, Agathinus vir non vulgaris in medicina eruditionis, quoties à cœnâ ægrè in ſomnum delaberetur propter æſtum, idque miro ſucceſſu. Contrarium tamen ſuadet in hodiernum vſque diem recepta conſuetudo, & medicorum omnium conſenſus, qui pro veritate eſſe debet. Nolo commemorare ſymptomatum iliadas, quæ à cibo lotis ſuperuenire ſolent. Illud tamen non prætermittendum quod

Galenus notat lib. de tremore, inde factum fuisse vt rigor ſine febre veteribus incognitus, ſuâ ætate frequens fuerit. Vnde non abs re Iuuenalis hanc ſui temporis conſuetudinem morte ſubitâ mulctari ſcribit ſatyr. 1. his verbis,

Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictum
Turgidus; & crudum pauonem in balnea portas:
Hinc ſubitæ mortes atque inteſtata ſenectus.

Tu tandem (docte Candid.) quid ſentias ſuper motâ hinc inde difficultate palam, ſi placet, aperies.

ENODATIO QVÆSTIONIS mihi à clariss. viro Dom. Le Comte pariter propositæ.

An balneum in profluente salubre?

MAximè vellem (viri Apollinares) vt de balneis dicturus *labra fonte proluissem Caballino*, & sacris Castalidum aquis lautas manus inundassem; aut de profluente acturus largo eloquentiæ flumine decurreret oratio: Nunc vtique munus veniâ dignum non deprecarer, aut certè susceptum timidâ præfatione apud vos excusare non cogerer; dum meditor oraculum exponere ambiguo sensu ab Apolline datum, conclusionem (inquam) paribus rationum momentis quasi

nodis ita abſconditam, vt ſoli Alexandro conueniat iugum hoc Gordium * diſſoluendum, quod non Aſiæ ſed Medicinæ regnum portendit. Audacem tamen facit ea quæ in me eſt indulgentiæ veſtræ & beneuolentiæ confidentia, quâ fretus, nihil non tentandum nihilque deſperandum puto, ſi modò qualem hactenus expertus ſum, eādem nunc pro ſingulari veſtrâ humanitate roganti impertiatis.

* Eius hiſtoriam narrat Iuſtinus lib. xj.

Duo potiſſimùm de balneo quæri poſſunt, quando videl. vſurpari debeat, & quo modo. De priori iam ab erudito Candidato abundè dictum eſt & determinatum. Poſterioris verò cùm multæ ſint partes eam impræſentiarum examinandam ſelegiſti (inclyte Muſarum Comes) quæ huc vſque pene intacta, nec à quopiam ſatis perpenſa, certi & acris tui iudicij cenſuram po-

ſtularet: De ea tamen noſtram pro more ſententiam exquiris, vt ſit hoc ſupremum futuro propediem collegæ artis tyrocinium. Quæris itaque an balneum in profluente ſalubre? Hoc conſtantiſſimè negaret Magnus ille Perſarum domitor, quem cùm Cydnus amnis, non ſpacio aquarum ſed liquore memorabilis, inuitaſſet vt calidum mediâ æſtate corpus ablueret, pene cum ſenſu vitâ caruiſſe ſcribit Q. Curtius,* ita vt non tam ille flumine merſus quàm fulmine ictus videretur: Et ſane amnis ope vicerat Darius ni Philippus egregiæ in regem fidei Medicus ſalutari poculo Imperatorem triumphanti exercitui intra paucos dies reddidiſſet. Verùm cùm ſaluberrima quæque temerè vſurpata etiam plurimùm noceant, & adiacentia ſeu (vt vulgò loquuntur) circumſtantiæ factum

* Lib. 3.

mutent, ratione potiùs quàm exemplis expendere placet balnei eiuſcemodi commoda & incommoda, vt deinde quæſtio certiori concluſione decidi poſſit. Balneum, ſeu vt ſtrictiùs dicam lauacrum, quod fit ex aquis dulcibus & nullâ peregrinâ qualitate medicatis, vel eſt calidum vel frigidum: Illud vel tantùm tepidum, vel paulò calidius exiſtit: Galenus hoc appellat temperatum, quod non niſi ignis beneficio tale fieri poſſit: Tepidum verò quod igne vel diuturno inſolatu θερμασίαν eiuſmodi εἱληθερῆ καὶ χλιαρὸν indipiſci poteſt ex aquis apricis: Num etiam ex profluentibus? Non videtur: vt enim agitatus aër licet naturâ ſuâ calidus, calorem tamen externum vix ſuſcipit, ſic & continuo motu veluti ventilata aqua vix ac ne vix quidem tepeſcet, cùm præterea noctis ſpatio

pariter refrigeretur. Hinc flumi-num liquor quamuis non omnino ἀπέραμνος æstiuis ardoribus persistat, nihilominus frigidiusculum semper offert balneum, & infra temperati tepidique limites positum: Ita quidem vt contrarij sint huius & illius effectus. Nam temperatum cùm actu calfaciat, alimenti anadosim promouet, sanguinem ad partes allicit, ac proinde extenuatos implet; idem meatus aperit, partes siccas emollit, laxat; laxas siccat dum si quid putre & fuliginosum intus hæret, educit, & per halitum digerit: corpus denique vniuersum reddit fluxile & perspirabile, vnde & ex euentu refrigerat, ex Gal. cap. 4. lib. 3. de sanit. tuend. Quæ omnia secus accidunt à balneo aquæ frigidæ & profluentis: Cùm enim actu & per se refrigeret, per accidens calefacit, represso intus calo-

re, constrictis poris & euaporatione impeditâ: Cæteroquin corpus durat, obfirmat, explicat, calorem natiuum auget, & animo securitatem addit. Quibus nominibus maximè commendabatur ab antiquis, vnde Horatius ode 8. lib. 1. carm. de amatore quodam indignabundus quærit. *Cur timet flauum Tiberim tangere?* Contrà ode 7. lib. 3. Enipeum laudat quòd

----Non alius flectere equum sciens
Æquè conspicitur gramine Martio:
Nec quisquam citus æquè
Thusco denatat alueo.

Sic apud Tibullum lib. 1. Eleg. 4.

Hic placet adductis quod equum compescit habenis;
Hic placidam niueo pectore pellit aquam.

Quâ ratione Romani veteres (vt scribit Vegetius) *quos tot bella & continua pericula militarem disciplinam do-*

Lib. 1. de re militari. cap. 10.

cuerant, campum Martium Tiberi vicinum delegerunt, in quorum altero armorum exercitationes inirent, in altero sudorem puluerémque diluerent, ac simul natare perdiscerent. Ex quibus colligo balneum in profluente præter lauationem & ἀποθεραπείαν, cõplecti & exercitationem ad militiam vtilem, nec non ad sanitatem vt posteà videbimus. Mulierum quippe est sedere in solio, virorum natare in alueo, vbi & fortiores inter aquarum pericula euadant, & paratiores ad obeunda. Apud Celtas olim mos inualuerat vt infantes recens natos in flumen aut mare mersarent, barbarâ quidem sed non vanâ ratione, vt sentit Philosophus 7. politic. cap. 17. nimirum vt sic à pueritia obfirmatum corpus ad quascumque aëris iniurias occaleret. Idipsum procul dubio innuit Achillis fabula, quem Thetis

Vt etiam apud Germanos auctore Galenò.

mater ſtatim à partu mari immerſum, telis impenetrabilem eduxit, eâ ſolùm parte exceptâ quæ aquam non attigerat. Sic apud Virgil. Rutuli

9. Æneid.

Natos ad flumina primùm
Deferimus, ſæuóque gelu duramus & vndis.

Durum equidem vixque Scythis ferendum βάπτισμα, quod ideo Galenus. 1. de regimine ſanitatis meritò damnauit. Sed dum gens humanitatis perſuaſione nimiùm ſibi indulgés, iſtam barbariem vitat, mortalium fato *vitia in contraria currit.* Tanta enim fuit in lauandis ſub tecto corporibus Romanorum mollities, poſtquam deſiit iuuentus perfuſos oleo palæſtrico artus virgine aquâ tingere, quemadmodum ſolebat apud Ouidium; vt Plutarchus ſympoſ. lib. 8. probl. 9. eam non potuerit non increpare, & operoſum

Eleg. 12. lib. 3. Triſt. de aquâ virgine vi-

illum balnearum ſui temporis apparatum non accuſare, quibus veluti recoquerentur in hypocauſtis aſſi, * elixi in labris, in deterioriis pumicati & quaſi malaxati: atque hoc eſſe ſeminarium vnde tanta inauditorum morborum ſeges in dies pullularet, palam aſſerit. Et ſanè quàtò iucundius eſt atque etiam (ſi rem bene æſtimemus) ſalubrius, æſtate mediâ, ſudore ac ſordibus ſqualens corpus in liquidis & parabilibus profluentium amnium vndis abluere? nec non fatiſcentia ſyderum æſtu præcordia liberiori ſpiritu recreare, frigidiorique tẽperare? Hoc certè maximum mihi videtur balnei huiuſce frigidiuſculi beneficiũ, quòd ſubſtantiæ noſtræ fluorem, qui tunc immodicus eſt, reprimat, ſicque calorem natiuum qui ideo exoleſcebat, refocillet, & aſcititium moderetur atque obtundat. Idem

de Plin. cap. 3. lib. 31.

* Hinc aſſa ſudatio apud Cic. & Celſum.

tempestiuè vsurpatum capitis dolores sedat ex Celso, potissimúmque valet ad somnum inducendum ex Trebatio apud Flaccum,

Satyr. 1. lib. 2.

Transnanto Tiberim somno quibus est opus alto.

Namque præter exercitationem somni conciliatricem, caput æstiuis ardoribus fatigatum benignis vaporibus implet eiusmodi balneum, & amicâ anathymiasi tenebras sensibus offundens, animum ad quietem componit. Præterea dum calorem intus auget, coctionem æstate tardiorem promouet, exuberantes humores dissipat, & refrigeratas partes intimas calefacit: vnde iure ipsum in arthriticis laudauit Aurelianus, eadem ratione motus quâ Hippocrates frigidam tetano affectis iuuenibus largè affusam remedium esse dixit, sicut & Celsus regio morbo laborantibus, vt notat

tat doctiss. Mercurial. lib. 6. artis gymnasticæ. Quin & obmittendum non est quod Plinius scribit *Luxata hominum corpora & quadrupedum natando facillimè in artus redire.* Ante omnia autem norit quisque naturam sui corporis; neque enim idem omnibus æquè conducit. Ab hoc frigidæ profluentis balneo caueant graciles, extenuati, exangues, cacochymi, infirmi, densâ cute præditi: solos iuuat sanos, robustos & εὐσάρκους; ac quidem ieiunos, non tamē famelicos, nec fatigatos, nec sudore diffluentes, sed remissos, paulò ante solem ortum vel statim post occasum, & sudo serenóque cœlo. In eo præstat aliquantisper moueri quàm quiescere, non tantùm voluptatis ergo, sed etiam vt aqua minùs suo frigore poros constipet partésque faciliùs subeat, humectet, refrigeret &

Cap. 6. lib. 31.

Cautiones in hoc balneo seruandæ.

De ratione victus in acutis.

eluat. Quod autem Hippocrat. lib. à te laudato ne dum tectum ac quietum, ſed & taciturnum iubeat eum eſſe qui lauatur, patet ex ipſius verbis ibi ſolùm de ægris ſermonem haberi, & balnei calidi aut tepentis cautiones præſcribi. Quare me ipſius auctoritas, quæ alioquin maximi eſſet ponderis, non morabitur, quominus concludam balneum ſub dio & in profluente, ſeruatis omnibus ſuperiùs appoſitis conditionibus, ſiue vt pertinet ad gymnaſticen ſiue vt ad ἀποθεραπείαν, eſſe perutile atque adeo ſalubre.

Oratio pro Vesperiis M. Victoris Pallu à clariss. Perrello in scholis Medic. die & anno præscriptis habita.

QVid illud est, mi Pallude, quod tu quem nuper admodum gestientem, purpurâ coruscantem & erectum hoc in loco omnes conspiciebant, mutatâ nunc sorte depositisque insignibus & ornamétis in subselliis hisce imis sedeas? Quid sibi hic vestitus quærit? An tibi tantopere Baccalaurei conditio placuit, vt vel contempto Pythagorâ iubente μὴ ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τοὺς ὅρους ἐλθόντα, regredi quàm progredi malis, atque iterum lubeat *antiquo te includere ludo*? Non equidem opinor. Grauis enim & molesta nimis res est Baccalaurea-

Hîc enim depositâ paranymphi purpurâ, Baccalaurei habitus postremùm induitur.

tus, quàm vt illum denuo quiſpiã expetat, niſi qui Solis ἀκαμάτου labores imitari, aut quid etiam amplius exequi poſſe temerè ſibi confidat. An eo id à te potiùs conſilio factum eſt, vt nauigationis medicæ naufragio ereptus, tabulam votiuam atque vuida veſtimenta potenti huius ſcholæ genio tandem ſuſpenderes? Non puto. Enimuero tam opportunè primùm littore ſoluiſti; tam accuratè atque vt decet optimum gubernatorem ventos mari in medio explorasti omnes; auribus aëra captaſti; ſydera cuncta tacito labentia cœlo oculis notaſti; *Arcturum, pluuiáſque Hyadas, geminóſque Triones, armatúmque auro circumſpexiſti Oriona*, vt inuito licet aſpectu infido & maleuolo nebuloſorum ſyderum, immenſum tibi æquor arandũ permenſus, portum tandem non minùs celeri cur-

ſu quàm fœlici ſucceſſu optatum attigeris. An igitur ea mente accedis vt in trophæum & victoriæ potiùs quàm naufragij monimentum, armamenta hæc tua bellique iatrici inſtrumenta Victor erigas? Non exiſtimo. Nam præterquam quod faſtu & pompis minùs te delectari ſcio, (poſcit.

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula

An contrà credam te in humili ſellâ hac ſedentem tanquam reum ex veteri Veſperiarum more fictis criminum probris obiici, infecta tanquam facta auditurum? Neque id facilè mihi perſuadere poſſum, cùm encomiis potiùs quàm obiurgationibus locus eſſe debeat in tui gratiam, qui plaudentibus non ita pridem Diis, vt ita dicam, hominibúſque rude donatus fueris.

Quod genus hoc hominum? quæue
hunc tam barbara morem

Permittit tellus, crimen pro laude
mereri?

Quid igitur tibi velis neſcio, niſi ſi quod vltimum & veriſſimum coniicere licet:

Has motus pietate arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petis, magnam cui mentem animúmque
Delius inſpirat vates aperitque futura.
Vt ſupplex aráſque tenens iam poſcere fata
Hîc poßis, meritis & non indebita regna.

Sed euge tibi: audiuit tua vota licet tacito animo concepta Schola hæc ſaluberrima, pietate non minùs quàm doctrinâ clara, quæ te impræſentiarùm ſuis ſacris initiat & per me, cui caſu ne dicam an fato tri-

podi huic datum eſt inſidere vates, nihil eorum quæ ſui ſunt iuris tibi denegaturam palam promittit; ornaturam te ex virtutibus tuis propediem ſpondet, tibique inaugurationem pollicetur & parat.

Lauri iampridem cinxit tua tempora baccâ:
Mox & Apollineâ ſperat te ornare coronâ.
His ſecum ſi optas pariter conſidere regnis,
Si iungi hoſpitio properas ſociúſque vocari:
Hoc tibi ſponte offert, dabitur Palude quod optas.

Sed heus tu mox laureâ Doctorali donande: Caue, quæſo, te medicum ſubitò eximium putes; neque eo temeritatis deuenias, licet pro genuino Apollinis fœtu habearis, vt eius currum ſtatim regere velis & audeas alter Phaëton maximo

tui & microcoſmi diſpendio. Magnum quidem eſt, fateor, vt maiori cum authoritate & ſui fiduciâ medicinam facere liceat, doctorum ſubiiſſe hominum iudicia, omnium ſuffragiis comprobatum eſſe, atque in eorum demum conſortium admitti; ſed totum illud quantum quantum eſt, deſignatum medicũ, non factum; ſcientiæ tantùm habitu inſtructum, non tamen peritum adhuc oſtendit. Multis, crede mihi, præterea ad eam rem opus eſt, quæ nonniſi temporis diuturnitate atque improbo labore comparari poſſunt. Audin' Phœbi quid Cortina ſonet?

Terram nate Deâ quam tu iam re-
re propinquam,
Longa procul longis via diuidit in-
uia terris.
Ante diu Coâ tentandus remus in
vndâ,

Pergameique ſalis luſtrandum naui-
bus æquor:
Scire poteſtates herbarum vſumque
medendi,
Multa manu medicâ Phœbique po-
tentibus herbis
Tentare, & mutas agitare inglorius
artes,
Expedit, hâc poßis quam tu conſi-
dere terrâ.

Ne mireris autem ſi Hippocratis & Galeni mentionem tantùm faciant Sibyllæ hæc folia. Etenim duo hi ſummi Medicinæ principes tibi inſtar omnium eſſe debent ad artis myſteria capeſſenda, fruſtra alibi quæſituro quod non apud illos doctiùs antea explicatiúſque dictum propoſitúmque fuerit: Guſtandos verò ſolùm alios cenſeo, excitandi interdum palati cauſâ, nimiâ cibi bonitate torpentis, ac tunc temporis legendos cùm ex Hippocra-

tis & Galeni aſſiduâ priùs lectione procreatus ſanguis, corporis iam medici partibus ſe pro alimento addere cœperit; neque ampliùs verendum ſit ne optima alimoniæ ſaluberrimæ copia in venas diffuſa, diuerſi generis ſucci paucitate vincatur. Ego enim, vt dicã quod ſentio, pro frugibus hos omniũ nobis bonorum authores habuerim, ex quibus ſimilagineus ad plenũ ſubactus & ſale ſuo fermentóque condítus panis confici poſſit: adeò vt mirari ſæpe ſubeat eos qui nihil aliud quàm ſuos Nicolos, Guainerios, Herculanos, Gordonios, Foroliuienſes, Valeſcos, Vgones, cæteróſque id genus Arabiſtas & barbaros prædicant; quos corrupto palato, ne dicam mente, ac diſtortâ quadam appetendi facultate eſſe oporteat, qui panem atrum ex iure plerumque atro præferant ſimila-

gineo, imò zizaniâ & lolio, frugibus relictis, vesci malint. Totos porro Hippocratis & Galeni libros legendos esse ordine & pedetentim moneo, nec semel tantùm sed iterum & tertiò, imò

Nocturnâ hos versare manu, versare diurnâ
Conuenit, atque in his scrutandis immori oportet.

Sic enim ex iis omnibus quasi membris inter se concinnè dispositis atque admodum aptato corpore coagmentatis, exurgere totius medicinæ veluti idæa quædam possit. Alioquin si confusè nihil purum & syncerum inde generabitur; quãdoquidem non minùs neglectus ordo corruptionem parere soleat, quàm promiscuus quorumcumque cibariorum vsus facere consueuerit: si saltuatim & frustulatim, ex minimè cohærentibus rebus, pug-

nantibúſque inter ſe, prauè intelligentium culpâ, ſenſis; nihil mirum ſi quemadmodum in monſtroſis conceptibus, hippocentauri quidã exiſtant & inauſpicato partu *prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.* Interea verò dum hos tibi authores familiares reddere ſtudebis, exercitationi medicæ ſedulò incumbendum erit. Caue tamen iterum, mi Pallude, ne velut laxis habenis ſtatim irrumpens, ad opera medica factitanda te conferas, priuſquam præeuntes in his aliquandiu ſeniores quoſdam tanquam præceptores ſequutus fueris, quorum ductu ea demum facere atque exequi ſecurè liceat, quæ inter legendum animaduerteris. Quemadmodum enim non minimùm profecerit, ſi quis nauigandi rectè pręceptis inſtitutus, egregium aliquem nauis rectorem quomodo ſe in actu ipſo gerat, ob-

ſeruet, cuius perito exemplo vela facere, rudentes doctè trahere & clauum flectere, ſicuti res poſcere videbitur, in diuerſa conſueſcat. Sic ſanè non minoris momenti erit in medicinâ, quod crebrâ rationis indagine obſeruaueris, ſemel atque iterum expertos idem aut non diuerſum admodum magiſtros vidiſſe quos deinde ſequaris optimos, vt tutò tandem ipſe per te, rerum quoque certâ experientiâ fretus, vtroque rationis ſcilicet atque experientiæ pede integer progrediaris, quorum alteruter ſi deſit, aut diſtortus imbecilliſue fuerit, claudicare proculdubio oporteat. Et certè qui ſic derepente ad ægros conuolant, pullis auium non abſimiles mihi videntur, qui volatu ſuo ſibi ante tépus nimiùm fidentes, neque matrem ſequuti, vbi alarum niſus eos deſtituit, in terram afflicti concidunt.

Sed ad quid hæc tibi quem ſuis ſat viribus diffidentem, atque Hippocraticæ Galenicæque lectioni & doctrinæ maximè addictum noui? quò viam iam tibi tritam magis ac magis horter vt perſequaris, arduam quidem & moleſtam, verùm quæ ad iucundiſſima & fructuoſiſſima ducat. Suaues autem talis ac tantæ artis fructus nihil mirum ſi diſcendi labor præcedere debeat, cùm ne muſicen quidem, quâ poſtmodum animus demulcetur, non niſi cum labore & moleſtia liceat addiſcere. Atque hæc ſunt præcipua quibus medicinæ faſtigium conſcendere poſſis: Sunt tamen pleraque alia non negligenda inſuper documenta eruditioni velut pro condimenta adiungenda, quibus niſi inſtructus fuerit medicinam facturus, facilè aberraturus ſit:

Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & optato possis considere portu,
Expediam dictis, tu condita mente teneto.

Primum vt ne erres, erroribus te obnoxium animo reputa; neque id te pudeat vmquam fateri exemplo magnorum virorum & Hippocratis præsertim. Hinc enim fiet vt & aliis errandi viam præcludas, & si in eumdem aliumue errorem inciderint (cùm nihil ab illis humani vt nec à te sit alienum) satiùs ducas amicè atque ad auré monere, quàm hostiliter & contumeliosè insultare. Et profectò quicumque licet sciens atque experiens, se exercitationis medicæ salo commisit, & negotiorum medicorum mare ingressus ad clauum assidet; hunc impossibile est quin aliquando vento-

rum vis aliqua ingruens, contrariis ſæpe flatibus pugnans de ſtatu deturbet, opiſque ac conſilij inopem quandoque reddat, αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθός ποτὲ μὲν κακὸς ἄλλοτε ἐσθλός. Hinc etiã fiet vt minùs obſtinatè tua ſis defenſurus, præſertim cùm plurium ſuffragiis improbata videris. Nolim tamen te tam molli, remiſſo & diffidenti animo eſſe vt quod ratio dictauerit argumentis nixa ſolidis, id contra omnium receptiſſimam atque vſitatam opinionem profiteri palam non audeas: Imò contra enitendum & quicquid vulgi turba reclamauerit pro veritate veluti pro aris & focis dimicandum eſſe ſuadeo, vt fecit olim inter plurimos noſtro ſeculo Briſſotus Scholæ huiuſce lumen egregium, cuius animi magnitudini præſertim debemus, quòd ex venâ eiuſdem lateris καθ' ἴξιν magnâ pleuriticorum

vtilitate

vtilitate ſanguinem mittamus iuxta ſummi Præceptoris doctrinã antiquam. Secũdum quod te præ oculis ſemper habere velim vt minùs ſis erroribus obnoxius, Hippocraticum illud eſt documentum μεδὲν ὑπεροράν, μηδὲν εἰκῆ, quo nihil temerè neque niſi priùs conſultâ ſtudiosè ratione faciendum, nihilque eorum quæ aut ad opus medicum, aut ad artis exiſtimationem pertineant eſſe omittendum monéris; vt etiam interdum minutias quę videri poſſint καὶ τὰ φλαῦρα, Hippocrati cognitu ſæpius difficilia, perſequaris. Enimuero vt in corio ſic in corpore humano ludere non licet, in quo ſi quid erratum fuerit non ita facilè reſarciri poterit. Neque vmquam quiſquam artifex magnum aliquod opus perfecturus eſt, qui parua neglexerit ex quibus conſtare id debet, cuius gratiâ reliqua molitur:

* Lib. 6. Epid.

Sic lapides ipſos magnos non facilè ſine paruis cohærere poſſe videmus; vſque adeò ad rerum ſemper maximarum ſummam conferre de ſuo parua ſolent. Apage igitur morem iſtum prauum Hippocratis & Galeni etiam tempore vſitatum, ſed noſtro heu nimis! quo ne non ſemper aliquid facere videantur quidā nomine tenus medici inofficiosè induſtrij, noui perpetuò aliquid comminiſcuntur quod ægris præſcribāt & obtrudant: Nam præterquā quòd naturam, quam ſolùm iuuare deberent, fruſtra fatigant & labefactant, tunc temporis fortaſſe cùm omnium optima medela ſit nullâ vti medicinâ; in ægrotantium etiam res maximè peccant quas intempeſtiuè ſic diſſipant. Apage eos qui exaduerſo cùm magis oporteat, nihil agentes, omnia fortunæ & naturæ committunt, atque in diſcri-

mineconſtitutum ægrum, aut vehementiâ morbi perterriti relinquunt, aut ex vulgi rumuſculis infamiam veriti; cùm potiùs generoſum medicum deceat, vt Damocrates dicebat, artis ſuæ ratione & vſu confiſum συγκαταβαίνειν τοῖς νοσοῦσιν εἰς τοὺς φόβους, ſatiúſque ſit periclitari cum ægroto, Philippi exemplo Alexandri magni quondam medici, quàm in medio illum ſalo inter procellas fluctuantem ſine rectore deſerere, & pro conclamato auerſari. Quod vtinam non ita frequenter hacce tempeſtate factitatum fuiſſet: Non, proh dolor! circunforanei noſtri Menecratis imitatione Iouis cognomentum inſolenter vſurparent, neque Iatronicen Theſſali exemplo palam & publicè profiterentur, maximi' omnium artifices habiti quaſi depoſitos in vitam reuocantes. An non ſocordiâ noſtrâ

potiùs, vt liberè dicam, & trepido quodam commotæ frustra concussæque mentis nostræ terrore, quàm propriâ eorum virtute conspicuos factos esse, & nomen illud adeptos fatendum? Apage præterea eos qui non doctrinæ nomine & compositis moribus, sed importunis sine necessitate officiis beneuolentiam aucupantur; qui remediorum exhibẽdorum occasionem non ex indicationibus, sed ex ægrotantis propensione adulatorio more expiscantur ex imperatoribus serui facti; quique sordido quæstu inhiantes ægros non rogati inuisunt, operam suam venditant quo accersantur, aut miserorum nautarum instar vectores vndique & hostiatim cogentium, lucelli exigui spe obuios quosque sollicitare non desinunt, quò sibi officium medicũ præstari sinant artis eximiæ maximo dedecore. Ter-

tium tandem & poſtremum quod te monere cupiebam, eſt vt ab omni oſtentatione & fuco ſis alienus, ne, quod agyrtarum eſt proprium, elatè & magnificè nimis venditando te aut ἀκροάσιας μετ' μαρτυρίης ποιη-τικῆς, vt inquit Hippocrates, & inani quadam rerum expectatione turbam multam explendo, fiat quod ille idem ἐκχαυνοῦν appellat. Noli igitur paruos pro maximis morbos circumferre quò deinde te in his vendites, rumuſculos falsò maléque coemptos apud vulgus captes & ingentium malorum profligator maximus habearis: inanis enim gloriæ cupidum minimè decet eſſe medicum virum bonum. Operum quidem ſucceſſu quadamtenus delectari licet, nóſque in his aliquando intra noſmetipſos admirari; ſed citra iactantiam & elatam foras oſtentationem, Virgi-

In præceptionibus.

Lib. de arte.

lianum Iapim imitati veri medici ideam, qui licet longâ rerum experientiâ fretus, cùm herbas non temerè quæsitas, sed ab Apolline ipso commendatas, vulneri Æneæ admouisset, re tamen perfectâ gratias Diis agit, eorúmque potestati beneficium adscribit:

Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proueniunt: neque te Ænea mea dextera seruat:
Maior agit Deus.

Plura non addam, cùm omnia ex Hippocratis oraculis depromere tibi sit facile, & quâ prudentiâ animique solertiâ præditus es, temporis, locorum, occasionis & personarum habitâ ratione in vsum reuocare possis. Cæterùm memineris ne vmquam

Inuidiam placare pares virtute relictâ.

DIXI.

PRO DOCTORATV
M. VICTORIS PALLV,
IN SCHOLIS MEDICORVM.

DIE MERCVRII XXVIII.
Augusti, anno Domini 1630.

An in acutis { *Risus* / *Lachrymæ* } κακόν?

IN hoc programmate duæ, vt suprà in Vesperiis, quæstiones proponuntur dissoluendæ: quarum primam proposui clariss. viro D. Suart, postquam inauguratus fui Doctor Medicus, adeóque Apollinari pileo donatus à clariss. Perrello, cuius grauissimam orationem habes hîc exscriptam & expressam, sicut & alterius quæstionis propositionem quam ipse deinde fecit clarissimo Domino Le Comte.

Poſtquam pulpitum ambo conſcendimus, ante omnia maior Scholarum Apparitor publicè poſtulauit vt tria iurarem, *Primum quòd ſtatuta & laudabiles conſuetudines huius ſaluberrimæ Facultatis ſemper obſeruabo, ad quemcumque ſtatum deuenerim: ſecundum quòd comparebo in Miſſâ pro defunctis in craſtino Diui Lucæ Euangeliſtæ: tertium quòd totis viribus procedam contra illicitè practicantes cuius tandem gradus vel vniuerſitatis fuerint.* Quæ vbi iuraui, me tandem Clariſſ. Perrellus totius Facultatis nomine Doctorem inaugurauit, laureauit, coronauit, facto frequenti clariſſimorum Medicorum auditorúmque concurſu & conſeſſu.

ORATIO PRO INAVGVRATIONE

M. Victoris Pallu à clariss. Perrello in ſcholis Medicorum die & anno dictis habita.

QVod non ita pridem pollicita tibi per me fuerat Saluberrima hæc Medicinæ Facultas, (inclyte Pallude) idipſum ex pacto hodie perficiendum aggredior: ſeriùs fortaſſe quàm tibi tuiſque σκιωσταδιοδρόμοις in votis fuiſſet; ſed tempori tamen, cùm ſera dici non poſſit ea gratulatio, quæ nullâ negligentiâ prætermiſſa eſt. Equidem non ſine causâ in hunc vſque diem diſtuli laureâ tibi debitâ frontem cingere: Nam præterquam quòd cunctabar onus recipere quod humeris impar eſſe ſciebam, impen-

ſè præterea exoptabam, & tui meique gratiâ cupiebam vt à viro laudatiſſimo laudaréris, & ornatiſſimo ornaréris, cui ex ordine id muneris contigerat, clariſſimum huiuſce ſcholæ Doctorem intelligo D. Piſonem, cuius famæ inſuper pro cumulo acceſſit, quòd principibus placuerit viris, & à Rege Chriſtianiſſimo ſimul ac inuictiſſimo primarius Sereniſſimæ Reginæ maioris Britanniæ Medicus nuper fuerit deſignatus. At quando fata tibi hanc gloriam inuiderunt, eique pariter delatum tuæ inaugurationis munus eripuerunt, quod ſe maximè affectare ſæpius ſignificârat: Ecce tandem ſuccenturiatus accedo lubens libénſque, eâ potiſſimùm in re tibi mihique congratulans, quòd liceat nunc dignum & par præmium laborum ei tribuere, qui meis olim auſpiciis non infœliciter meruerit

atque militauerit. Sic ſane, mi Palude, nedum tuæ virtutis teſtis adero & admirator, ſed & remunerator locupletiſſimus, qui βραβεῖον illud conferam quod ampliſſimum eſſe omnes agnoſcunt. Enimuero etiamſi te iucundiſſimum Medicinæ ſtudium in primis ceperit atque pellexerit, eiúſque viridaria & hortulos ſuperbis Iuriſprudentiæ, alioquin tibi adblãdientis, palatiis lubẽs antepoſueris, adeóque malueris mutas nobiſcum artes, non tamen inglorius, agitare, quàm vbi eloquentiæ tuæ flumina oſtentare & magni locare poſſes, oratoriam exercere: Nihilominus & ſuos dat Galenus honores, nec ſpernenda venit amictus huius Pœonium in morem maieſtas atque dignitas. Etenim vt de ſcientiæ artiſque præſtantiâ nihil dicam, in quâ nulla poteſt eſſe perfectio ſine illâ encyclo-

pædiâ quæ viam munit ad fœlicitatem; hic certè conceſſus ornatus totus regius eſt, imperatorius & ſacroſanctus. Diuina equidem inſignia ei arti ſuo iure debebantur, quæ humano generi ſupra cæteras ſalutaris eſt & benefica; vt nō immeritò antiqui Machaona, Podaliriū, Æſculapium, Hippocratem, cæteróſque eximios Medicos in Deorum numerum retulerint, & diuinis honoribus coluerint, delubris etiā excitatis: Quod vt idololatricū & Paganicum licet improbemus nos qui veræ Chriſtianæque religionis obſeruatores medicinam omnem & ſalutem vni Deo Opt. Max. acceptam referimus, quique naturā cauſæ tantùm ſecundæ & inſtrumenti vicem tenere, medicum verò vtriuſque miniſtrum agnoſcimus: Attamen rationes quibus moti id fecerint, neminem arbitror

qui non maximi ponderis & aucto-ritatis esse ducat. Videtur quippe Medicus Deũ æmulari, dum quod ipse formauit opus omnium elaboratissimum pulcherrimúmque, tuetur & conseruat veluti continuatâ productione. Quod si medicamenta θεῶν χεῖρες sunt, certè Deus est aut Deo proximus qui illis sapienter vtitur, qui naturæ motus obseruat, eique pene à consiliis & arcanis perpetuò adesse cernitur. Atque hinc factum putauerim vt Angeli & Archangeli aliquando medicinam facere nõ fuerint dedignati; & *Christus* ipse gẽtium salus mortalis specie in terris degens solius medici nomen sibi assumpserit, qui iam ab initio & orbe condito medicinam Altissimus crearat, medicúmque reuerenter habendum postmodum præceperat. Hac, opinor, diuinæ legis commendatione non apud

* Plato 5. de Repub.
* Vt ex verbis cap. 3. Esaiæ colligi potest. Vide Plin. lib. 30. cap. 1.

Ægyptios * solùm, sed & Hebræos * non nisi è Philosophis & Medicis Sacerdotes, & è Sacerdotibus Reges quondam electos legimus. Quo minùs mirum videri debet, si Regum ornamenta etiamnum retinuisse videmur. Neque verò ideò tantùm regia censeri debet medicina, quòd eam olim atque etiam non ita dudum coluerint Reges plerique & viri principes: sed & quòd ea Architectonica subiectis artibus imperet ac dominetur, quarum ope totam armat naturam aduersus internos & externos Reip. humanæ hostes quibus sese opponit, Regis optimi exemplo, prouidens ne quid detrimenti capiat Resp. cuius nimirùm suprema lex est salus publica. Ne quis deinceps miretur, si nefarij aliquando Imperatores qui orbem perditum volebant, omnia susque deque vertentes, Medicinam cum

Astræa longè relegauerint, exilioque damnauerint: vnde vtraque in cœlum originis suæ locum egressa, vix potuit reuocari. Quamquam satis scio numquam in Medicinam sed in medicos, qui, vt Sidonij Apollinaris verbis vtar, Chironicâ magis instituti arte, hoc est, malâ & mortiferâ, quàm Machaonicâ, hoc est, salutari erant, latum fuisse hoc toties medicinæ immeritò & indignè exprobratum proscriptionis edictum. Ecquid verò Imperator libidinum morborúmque seruus in Illam Regum rectricem & imperatorum imperatricem? Quid enim verebor Medicinæ tribuere quod Theodoricus Rex apud Cassiodorum medico suo huius artis nomine concedere non dubitauit? *Indulgeto*, inquit, *palatio nostro, fiduciã habeto ingrediendi, quæ magnis solent pretiis comparari: Nam licet alij subiecto in-*

Epist. 12. lib. 2.

Variarum lib. vj. formulâ 19.

* Deprauati codices aliter legunt.

*re ſeruiant, tu rerum Domino ſtudio * præſtanti impera; fas eſt tibi nos fatigare ieiuniis, fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in loco beneficij dictare quòd nos ad gaudia ſalutis excruciet.* Non igitur temerè & præter conſilium regia purpura medicum veſtit, ornat, & à profano vulgo diſtinguit. Enimuerò quâ gratiâ apud Amaxobios in more poſitum aliquando legimus, eos qui artis aliquid repererant, aut aliunde acceptum excoluerant, & ad communem vtilitatem conuerterant, donatos fuiſſe veſte honorariâ, cui importatæ vel excultæ artis argumentum intextum erat, inſigne remanſurum in familiam ad poſteritatẽ: Non aliâ procul dubio ratione Medicis, quòd ſalutarem vniuerſis artem inuenerint & auxerint, omniſque eorum cura & opera ad publicum pertineret, honorariam togam

gam iure meritò oblatam fuiſſe, exiſtimandum eſt, quæ deinde ad nepotes tranſierit in artis egregiæ præmium, dignitatem & auctoritatem; conceſſus ſiquidem cultus magnificus addit hominibus auctoritatem, ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει ἐσθλή, inquit antiquiſſimus Poëtarum Homerus. Macte igitur virtute & honore (mi Pallude) iiſque gaude ſplendidis ornamentis quæ tot egregiis facinoribus ſtudiorúmque experimentis meruiſti. Nuper tu coccinatus in hac arenâ, non coniugali, vt putabatur, ſed equeſtri annulo plaudentibus vniuerſis donatus es à diſertiſſimo Encomiaſte; neque id ſanè ſine exẽplo, cùm Auguſtus equeſtri dignitate olim decorarit Antonium Muſam * medicum ſuum, atque omnes deinde medicinam profeſſos: Nunc verò veluti gradibus ad ho-

* Hoc refert Cœlius Rhodig. lect. lib. 6. c. 12.

nores factis, latum clauum senatorium hodie recipis, apparent tibi lictores cum fascibus, & in supremâ hac orchestrâ tanquam in dignitatis apice & fastigio collocatus sedes, ex quâ iam possis legere, interpretari, docere, ac omnino de quacumque controuersiâ sententiam pronuntiare. At tandem ne laurea isti tuæ triumphali inaugurationi diutius deesse putetur, ecce illam, (Victor non minùs re quàm prænomine inclyte.) Quid? triumphi nomine erubescis? pudorem istũ probo: verùm si minorem laudem existimas te medicum communibus Doctorum, hoc est, sapientum suffragiis, in hac omnium celeberrimâ medicorum familiâ inaugurari, quàm aut Athenis Olympionicen fuisse, aut Romæ triumphantem, vehementer erras: illorum quippe gloria caduca erat & inanis quæ ex

ſolo populi fauore penderet, quo cum & ipſa euaneſcebat: Tu verò exacto grauiſſimorum virorum iudicio & æquo calculo comprobatus, famam adeptus es ſempiternam, cum arte quam honorificentiſſimam omnibúſque ſalutarem tibi peperiſti: Sapientum approbatio etiamſi paucorum, plebis ac multitudinis applauſum longè, crede mihi, ſuperat. Sed quid te pluribus moror? aut quid gaudia tua differo, & pileum hunc Apollinarem capiti tuo imponere ceſſo? Quadratum vides, vt in omnibus conſtantem te & perfectum præſtes, virtutum tetragono inſiſtentem, ſcientiarúmque quadriuio ornatum: quatuor veluti cornua, orbis imperiũ portendunt quatuor plagis diſtinctum, & elementis quatuor conflatum; quin etiam quatuor medicinæ partes oſtendunt, tibi per ſtudiorum qua-

driennium comparatas. Imâ tamen parte rotundus idem eſt pileus, vt verticem inſtar coronæ cingat. En igitur tibi, poſt emenſum fœliciter ſtadium, nomine totius Scholæ, coronam dono Delphicam, eſculeâ, pineâ, gramineâ, myrtheâ, aliiſque id genus, imò aureâ & argenteâ potiorem: quippe quæ præter eximiũ exantlatorum laborum inſigne & ſtudiorum præmium, ſignificet tibi licere medicinam hîc & vbique terrarum docere & facere. Quod vt fœlix fortunatúmque ſit, accipe illam, mi Pallude, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Pileus capiti imponitur, & alapa leuìter imprimitur.

ACcepto pileo veluti tunc primùm Doctoris perſonam ſuſtinens parteſque gerens, quæſtionem propoſui clariſſ. viro D. Suart, quam ille poſteà fuſiſſimè explanauit, & doctiſſimè definiuit. Quæſtio autem talis fuit.

An risus in acutis
κακός?

VT vultus ſic ſermo animi index, quem lingua licet bifida minimè tamen duplex vel inuita prodit. *mouet ſua quemque voluptas.* Ita ſanè me ea quam impensè ſentio huius diei iucunditas, ſi non ridere impellit, at certè de riſu ſermonem habere, qui gaudium teſtatur intimum, tantum equidem vt etiam lachrymas exprimat: Neque enim hîc Democriti riſum, aut Heracliti lachrymas ad oſtentationem ſapiẽtiæ paratas proponimus: Noſter riſus non melancholiæ ſed gaudij eſt impetus, qui etiamnum maior erumpit quòd te (amiciſſime Suart) hodiernæ fœlicitatis teſtem & participem nactus fuerim. Attamen ne

grauiſſimum virum de rebus leuiſſimis ineptè percontari videar dum quæſtionem de riſu affero, eandem vt ad morborum prognoſim tãtùm pertinentem nunc perſtringam. Tu pro eâ quâ plurimùm vales ingenij ſolertiâ & eruditione controuerſiã dirimes atque compones. Eſto igitur problema, an riſus in acutis κακὸς? Pares ſunt vtrimque dubitandi rationes, quas antequam expono, de naturâ & cauſis riſus paucis dicam: & quidem priùs de eo qui eſt ſecundum naturam, quàm de eo qui eſt contrà. Riſus homini tam eſt naturalis, vt proprij exemplum Porphyrio fuerit; tamque proprius vt differentiæ locum pene teneat. Quid tamen ſit, & à quibus cauſis proficiſcatur pauci attigerunt, pauciſſimi explicarunt; quæ inquiſitio ideò ad te (docte Suart) tantò magis pertinere videtur. Sed interim dum

tu discendi auidos satiabis, ego gustum excitabo. Primùm itaque pono risum esse cordis diffusionem cum vibratione quâdam septi transuersi necnon musculorum thoracis & oris, atque hanc vibrationem significare aliquem animi motum: sed quem, quóque modo motus cordis musculos moueat, magnâ dissensione controuertitur & disputatur. Valeriola risum solius gaudij sobolem esse censet, & admirationem sustulit quam Fracastorius cap. 20, lib. de sympath. prætereà addiderat: Illam rursus adducit Vallesius * qui potiorem arbitratur Fracastorij sententiam, hoc præsertim argumento quòd solus homo rideat, nempe quia solus admiratur; ac subinde fatuos & pueros sæpius & impensiùs ridere ait, quia plura admirantur. Neque tamen omnia mirabilia putat ridicula, sed

* Controuers. lib. 5. cap. 9.

ea tantùm quæ cum facilitate iucunditatem habent adiunctam: facilis quippe admiratio risum concitat, magna ecstasim: sic leues curæ loquuntur, ingentes stupent. Non igitur semper ridet qui miratur, sed quodam modo miretur oportet, qui ex animo ridet. Neque aliter ex titillatu seu tactu partiũ acerrimo sensu præditarum, risum prouocari existimat; si quidem in eo voluptas repente & latenter accedens transfundit ad cor gaudium cum quadam specie nouitatis: vnde fit vt nullus risum sibi excutiat, quantũuis seipsũ titillet, quia nullius tactus potest sibi ipsi occultè occurrere; facit enim ad eiusmodi risum fraudulentus & clandestinus tactus; quod innuit Arist. dum probl. 6. sect. 35. scribit risum alienationem quandam esse & fraudem. Hinc etiam fortassis fit vt ti-

Hinc colligerisum ex titillatu propriè risum esse contra quã sentit Iubertus libello de risu.

tillatio quæ eſt maxima in coitu, riſum tamen non excitet; niſi fortè ingens tum voluptas, quemadmodum ſuprà admiratio, ecſtaſin potiùs facit quàm riſum. Sed hæc parerga ſunt, & ad controuerſiam nihil attinentia: Ex quibus tamen intelligimus admirationem alteram eſſe riſus naturalis cauſam. Et ſane quî fieri poſſet motus ille muſculorum thoracis & oris, ſi nulla eſſet in riſu partis animalis paſſio? aut quo modo riſus voluntatis imperio cohiberetur, ſi ex ſolo dilatati cordis motu naſceretur? Attamen & hoc maximè dubitari poteſt an riſus voluntatis nutu contineri poſſit libérque ſit motus, quo diffuſiſſimo vel plerique expirarunt, vt probatiſſimæ teſtantur hiſtoriæ: Sed ne hîc diutius hæreat animus anceps & dubius, ad alia transuolat. Iam itaque venio ad riſum ſympto-

maticum. Is, vt opinor, easdem atque naturalis habet causas, verùm deprauatas & absurdas: fit enim cùm læsa & delirans phantasia, absurda quæque fingit, aut obiecta quælibet velut noua & iucunda apprehendit, rationique repræsentat, cuiusmodi admirationẽ pariant ac subinde risum, qui eo tantùm nomine symptomaticus & contra naturam reputandus est, quòd nascatur ab errore mentis absurda quæque admirantis. Alia tamen eius causa assignatur ab Arist. 3. de partib. animal. cap. 10. ni. excalfactum quauis de causâ diaphragma, vt non possit facultas illud continere, quâ ratione crocum potu risum præter naturam facere suspicatur Vallesius: quamquam alij hunc potiùs Sardonio similem esse affirmant, qui nihil minùs quàm risus est, sed σπασμὸς musculorum

faciei, quomodo ſolent conuelli ab eſu illius ranunculi * qui in Sardinia frequentiſſimus eſt. Sic, opinor, læſo diaphragmate conuulſiuus eiuſmodi riſus cernitur, non verus, niſi fortè tum ex delirio mẽtis contingat. Quicquid ſit verus riſus in morbis, qualem hîc ponimus, ſi quidem naturalis non eſt, duo omninò ſignificat, putà vel mentis alienationem, vel excalfactum ſeptum tranſuerſum, quamquã de poſteriori magis dubitatur. Eſtne igitur ille in acutis κακὸς, ſeu in malis ſignis ducendus? Hippocrates Aph. 53. ſect. 6. de eo ſic cenſet, αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι. Deliria (inquit) quæ cum riſu fiunt, ſecuriora ſunt. Delirant ægri, imaginibus quibuſdam ſentientibus internis facultatibus oblatis, quarum gratiâ quæ

* Aut apij.

non ſunt, eſſe putantur. Has imagines mutant vapores humorum, vnuſquiſque pro ſuâ naturâ; inter cæteros ſanguis grata repræſentat, ac ſubinde riſum commouet. Quare ludicra deliria & ridicula arguunt cerebrũ ſanguine ſolo occupatum, eóque non contaminato, ſed tantùm æſtuante & qui facilè emendari poteſt. Verum-enimuero nedum acutorum, ſed & omnium morborum mitiſſimi ſunt quicumque à ſanguine committuntur, vt inductione probari facilè poſſet, in quibus ſemper optimum eſt nullam ſubeſſe illius corruptelam. Vnde ſequitur riſum in acutis optimum fore ſignum, eadem ratione quâ ſomnia grata & iucunda apud Hippoc. bona ſunt & (cæteris conſentientibus ſignis) ſalutaria: vtrobique enim gratæ imagines phantaſiæ offeruntur benigniorum purio-

Riſus in acutis bonus eſt vt ſignum.

rúmque humorum indices. Ex alia tamen parte risum in acutis malum esse, possumus inferre ex eodem diuino Sene qui Aph. 33. sect. 2. hoc effatum protulit; *In quouis morbo valere rationem, bonum: contrà verò se habere; malum.* At verò intempestiuus risus si non semper, saltem vt plurimùm signum est rationis prauè & peruersè sentientis. Igitur cùm vbique malus sit, maximè in acutis in quibus animi præsentiâ est opus. Quod si quis etiam putet illo diaphragmatis affectionem significari, tantò magis in acutis malus erit. Plura non addo, ne proponentis fines transilire videar. Principium omnis veritatis dubitatio est, quæ artis & naturæ diligentissimos sollicitos atque inquietos habet, donec illam inuenerint: non tamen cuiusuis est de rebus magnis maximéque arduis existimare ac de-

Malus ve sympto-ma.

cernere. Idipſum tibi relinquo, Doctiſſ. Suart, à quo hanc gratiam expeto & expecto, vt hoc minimè ludicrum, licet de riſu, propoſitum, pro tuo ſingulari, ſincero & ſubtili iudicio, tandem definire non graueris.

QVÆSTIO A CLARISS. viro D. Perrello propoſita.

An lachrymæ in acutis malæ?

MIraberis fortaſſe, quamquam non rides, (Comes clariſſ.) cur ſolenni hocce die quo ridere omnia vidētur, ipſique etiam Scholæ huius parietes geſtire, orationem ad fletum deflectam, lætiſque triſtia miſcés, intempeſtiuis lachrymis publicam iſtam lætitiam tur-

bare & corrumpere non dubitem. Verùm ſi attentiùs perpendas, rémque penitiùs examines, humani nihil alienum cognoſces. Enimuero ſi vera ſunt quæ de Thracibus traduntur ab hiſtoricis, & de Caucaſianis à Strabone, iis nempe νόμιμον εἶναι τὸν φῦντα θρηνεῖν, in lege & more poſitum fuiſſe recens natum fletu excipere, lachrymiſque in lucem primùm venientem proſequi, quaſi in fortunæ ludibrium, miſeriarum experimentum, & ærumnas editum: Si Romæ ſeruus à tergo triumphantis triſtia in aurem inſuſurrabat: Quidni hodie idem mihi liceat facere, naſcente primùm & Phœbi lumine ſuauiſſimo fruente, ſimul ac triumphante Palludo noſtro. Miſera eſt, fateor, hominis conditio, ſed miſerrima Medici, qui licet inculpatiſſimus, innumeris tamen calumniis obiicitur, dum ſolus fatorum

inuidiam ſuſtinet, aut ſi quid à clinicis mulieribus, Chirurgis, Pharmacopæis, atque etiam ægris ipſis peccatum fuerit, omnium errores immeritus præſtare cogitur. Hactenus nouo Doctori ſatis fuimus gratulati, nunc præſtat Palludi natalem lugere, & Victoris triumphum lachrymis potiùs quàm riſu excipere. Sic fiet hac gaudij & doloris miſturâ animus temperatior & ad omnia paratior. Iam itaque à riſu ad lachrymas venio; atque ne quis gaudij an doloris indices dubitet, Tu pro eo quo præditus es maturo prudentique iudicio, definies, ſintne in acutis lachrymæ bonæ vel malæ?

Duplicis autem ſunt omnino generis: Aut enim cum voluntate fluunt quas ἑκούσια δάκρυα, τῶν ἑκόντων καὶ κατὰ προαίρεσιν vocat Hippocrates; aut ſine voluntate ἀεκούσια,

τῶν

τῶν μὴ ἐκόντων καὶ μὴ κατὰ προαίρεσιν: Illas quidem ſpontaneas, has verò non ſpontaneas fere omnes interpretantur, idque malè, meo quidem iudicio; cùm ex aduerſo ſpontaneæ dici debuiſſent quæ contra voluntatem fluunt: Quo ſenſu Vaſſæus expoſuit ſententiam octauam ſect. 2. lib. 1. Epid. & Braſſauolus Aphoriſmum 52. lib. 4: Quod & idem fecerunt viri non contemnendi. Neque mihi ſatisfacit quod in medium proferunt quidam, ſpõte aut ad ægrum referri, aut ad morbum; & ſic pro vario reſpectu contraria ſignificare poſſe, tum lachrymas quæ ſponte ægri, hoc eſt, volente ipſo, tum quæ ſponte morbi (vt aiunt) ſeu nolente ægro, aut potiùs motu proprio humoris pondere ſuo ruentis fluunt. Nam præterquam quod non tollit hæc diſtinctio confuſionem, ſi alicubi vitan-

dam, maximè in medicina, quæ legentium animis inde ſuboriri poteſt, quòd illud ſponte diuerſo apud diuerſos interpretes ſenſu poſitum reperiatur: Id præterea contra genuinam Hippocratis mentem directè pugnare videtur, apud quem αὐτόματον, ſeu ſpontaneum, id dicitur, quod à natura intrinſeca ſine voluntatis imperio fit. De prioribus non eſt hic ſermo, quas οὐδὲν ἄτοπον σημαίνειν omnes ex Hippocrate & rei veritate fatentur, cùm à cauſis externis ἐξίλασμον puta ἢ στέρησιν τῶν φιλῶν καὶ χρημάτων ex Philotheo & ex Oribaſio à ficto dolore aut alio animi pathemate excitentur; quæ omnia nullam de morbo, déque eius exitu ſignificationem præbere poſſunt, aut ſi aliquam fauſti potiùs ominis ex Hippocrate ſectione prima libri ſexti epidemiωn: ſi quidem & mentem con-

ſtare, & lethalia ex oculis ſigna deſumpta, ſquallorem, concretionem & immobilitatem abeſſe demonſtrent. De poſterioribus igitur ſeu inuitis quæſtio tantùm erit, quas quidem lethales eſſe conſtat ex Hippocrate locis citatis, & alibi paſſim: ὀκόσοισι ἐν τοῖσιν πυρετοῖσιν, ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι μὴ κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν, ἄτοπον: quia inquiunt denotant ἐσχάτην ἀσθένειαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, quæ quod modicum etiam in oculis reſtat continere nequit; aut, vt non malè Argenterius, valde igneũ calorem colliquantem propriam cerebri & oculorum humiditatem indicant. Alioquin ſi à debilitate id fieret, morituris continuò fluerent lachrymæ; contra quam quòd experientia docet, ſi quidem morituri vix flere poſſunt ob ſymptomata in oculis peſſima iam commemorata. At contra malas non eſſe

plura ſuadere videntur. Cùm enim ἀπροαιρέτως fluere poſſint in acutis lachrymæ multis aliis de cauſis præter iam dictas, nimirum ἢ δι' ὀδύνην καὶ πολλὴν οἰνοποσίαν τῷ θερμαίνεσθαι τὰς ὕλας ἐν τῇ κεφαλῇ, ἢ διὰ φλεγμονὴν τοῦ ὑπεζωκότος ὑμένος τῶν ὀφθαλμῶν ex Philotheo; aut præterea ob aliquam cauſam externam irritantem oculum, fumum nempe, aliamue id genus, quarum vnaquæque ſi expendatur nihil mali portendere videtur, vt omnibus in confeſſo eſt: Non video cur abſolutè concludẽdum ſit mali ominis eſſe inuoluntariè profluentes lachrymas. Dicam amplius ne quidem mihi videri funeſtas ex cauſis à Galeno & Argenterio ſupra recenſitis. Enimuero cur ex oculi partis ad melius eſſe debilitate, liceat tantum ſperare dolorẽ? ſiquidẽ abſque infauſto exitu ſæpe videamus, & ventriculi & he-

patis etiam partiũ ad vitam maximè necessariarum ἀσθενείας. An non lachrymas fundere possunt acuto morbo laborantes, calore liquante solùm excrementitias cerebri humiditates? Nónne ebulliente in vasis sanguine, anathymiasis multa cerebrum feriens natura frigidum & humidũ, velut circulatione quadam in aquam resolui potest, indéque per oculos perinde atque alias subiectas partes depluere sine ægrotantis pernitie? Sed ne diutiùs te morer, ecce pro omni machinâ Hippocratem in medium affero, qui disertissimis verbis loco citato sectionis secundæ lib. 1. Epid. docet boni esse iudicij, tantum abest vt mali: οἷσιν, inquit, ἐν πυρετοῖσιν ὀξέσι, μᾶλλον δὲ καυσώδεσιν ἀεκούσια δάκρυα ἀποῤῥεῖ τούτοισιν ἀπὸ ῥινῶν αἱμοῤῥαγίαν προσδέχεσθαι; quod idem repetit libris de Crisibus. Vides,

vir clarissime, dissentientes hinc inde summi Præceptoris sententias, rationibus non omnino negligendis confirmatas. Quid super eo dubio sit statuendum, quo polles ingenij acumine, si placet explicabis.

POst enodationem dubij propositi, tandem incepi.

IN SOLENNI INAVGVRATIONIS DIE, GRATIARVM ACTIO.

ERgo me (Asclepiadarũ proceres) suum agnoscit augustissima hæc Epidaurij Æsculapij cultrix Roma: Ergo iam licet proquiritari *Ciuis Romanus sum*; non palliolatus sed togatus medicus, ac in principe Scholâ solenni ritu inau-

guratus : Et qui priùs hoſpes eram & extraneus, nunc quemadmodum Pruſias ille apud Appianum, * ego εἷμά τε Ρωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πίλεον ἐπικείμενος, me libertum veſtrum profiteor. Libertatem dediſtis qui ciuitatem, ſiquidem iure ciuili merè liber nemo poteſt eſſe, qui non idem ſit ciuis: Libertas enim ciuilis, propriè ciuitas, inquit Tullius. Et quidem cùm Romæ triplex eſſet Libertinitas, Romana, Latina & Dedititia, priori tâtùm ius ciuitatis conſequebantur Libertini, cæteris non item, quibus veluti vinculo ſeruitutis adhuc adtinebantur, ait Tacit. Illa ideò plena dicebatur, iuſta & perfecta libertas, cuiuſmodi maximè ſolennis fuit donatio, quæ fiebat vindictâ Prætoris in caput impoſitâ, circumuertente ſeruum Domino, eique a-

* Principio belli Mithridatici.

lapam incutiente: Tu mihi (Perrelle æternùm colende) Prætor, tu Dominus & Patronus, qui me tot beneficiis emisti, vt solus quasi tuum vertere, mihique iustæ libertatis alapam simul & pileum dare potueris. Non equidem sorte ita res cecidit. Ego idipsum effusis votis optaui, & postquam clariss. Pisone frui non datum est, ab vtroque impetraui, à te vt velles, ab illo ne negaret. Nõ igitur fortunæ, sed vtriusque summum est beneficium, quòd hodie votorum compos fio fortè ad inuidiam fœlicium: illam tamen non metuo quominus me ista purpura palam delectet, mihique in hoc nouæ dignitatis fastigio primùm collocato gratuler. Date hoc (viri Medici) tanti muneris magnitudini, quod laudis & gloriæ auidissimum alioquin animum implet & satiat. Olim postulauit Alexan-

der Magnus ciuitate Romanâ donari: At iam ego veſter ſum ciuis, eius (inquam) ciuitatis municeps, cuius *Ciconiæ* Romanis Aquilis non ſunt inferiores. Illæ, præterquam quod medicinam peculiari ſymbolo ſignificant, crocitantes aduerſus veſtra decreta coruos ſingulari antipathiâ fugãt; noctuis aut veſpertilionibus clam inſidias moliẽtibus admirãdâ prorſus ~~vim~~ prouidẽtiâ vnum nõcẽdi eripiũt, peſtiferos denique ſerpentum, quibus cum perpetua odia exercent, ſibilos, morſus & afflatus reprimunt ac vindicant: Ita quidem vt aduerſus imminentes huius Scholæ hoſtes & oſores tutius propugnaculum opponi non potuerit, quàm ſcutum eiuſcemodi in quo ciconiæ tutelares conſpiciũtur. Antiquis Hygiæa colebatur ciconiam dextrâ gerens & oſtentans: hîc verò nõ vna ſed plures ſaluberrimi ordi-

nis concordiã deſignãtes veſtra ſtẽmata inſigniunt, & monumenta obſignant. Hoc ſanè crediderim τὸ θά-σημον perpetuum ver aſſerens, primario eóque florentiſſimo Medicorum Pariſienſium collegio de cælo datum, velut Romanorum Ancile aut Troianorum Palladium, de cuius proinde origine nefas eſt anxiùs inquirere, & ætates tabularum conſulere. Nunc ſatius fuerit ἀντιπελαργεῖν,* hoc eſt, pro conceſſo veſtrarum Ciconiarum præſidio eximióque iure, gratiam redhoſtire, & ſi nequeo paria reponere, ſaltem pro beneficio officium rependere, vobiſque vniuerſis præceptoribus meis ſapientiſſ. & nunc veſtro munere collegis, quem debeo cultum atque obſeruantiam publicè profiteri. Hoc me, vel tacita admonet veſtra pietaticultrix ales, quæ educatoribus ſuis vicem reddens, &

* Reciconiare ex Scalig.

in hoſpites atque beneficos grata, egregiæ virtuti nomen dedit. * Eſt illa rationis expers gratitudinis exẽplum & pietatis, ſed quam *animal mentis capacius altæ* longè debet hac in parte ſuperare. Profectò nihil à brutis diſſidemus, ſi tantùm in homines grati fuerimus: Nobis vtiq; euolandum eſt ſupra cœlum, & vnde fluxit ratio, illuc erigenda: Nos, inquam, qui in Dei ter Opt. Max. cognitionem ſoli cum Angelis aſſurgimus, poſſumúſne citra impietatis crimen tam munificentiſſimũ bonorũ omnium largitorem tacere? *Priùs adhæreat lingua faucibus meis, & os meum obmuteſcat.* Tibi igitur (ſumme Deus cuius numen eſt ſuprà omne nomen) quas poteſt humilis animulus concipere, & vox exprimere gratias habebo ſempiternas, quòd me de ſinu potentiæ tuæ eductum homuncionem nudum non abiece-

* Ab illâ enim ἀντιπελάργησις gratitudo dicitur.

ris, & densis ignorantiæ tenebris immersum non siueris, sed beneficiis tuis cumulaueris, & singulari tuâ indulgentiâ in istum vsque diem seruatum, ad hunc scientiæ, quantulacumque est, gradum & honoris apicem euexeris.

O mutis quoque piscibus
Donature cygni si libeat sonum,
Totum muneris hoc tui est,

Horat. Ode 3. lib. 4.

Quod placui, quod merui, quod obtinui. Omnia à te habeo, imò non meus sum, sed tuus: dedisti corpus, dedisti mentem, dedisti totum. O te bonorum omnium fontem inexhaustum, liceat mihi in isto subselliorum excessu, Orphico hoc carmine tandem venerari.

Pleraque ex Scalig. ad calcem exercitat.

Qui regnas vbique, sine loco: sine tempore, semper.
Immobilis absque statu: pernix, sine motu:

Trinus sine numero: sine quantitate magnus:

Bonus sine qualitate: sine partibusque totus.

Intra omnia; sed non tamen inclusus in ipsis

Extra omnia; sed non tamen exclusus ab illis.

Immutabilis etiam cùm cætera mutas.

Absque labore regens: sine dispendio creator.

Sine nocte dies: Sol sine limite occidentis.

In quem penitus nulla potest necessitudo.

Sine principio principium: absque fine finis.

Cui præteritum non abit; haud subit futurum.

Ante omnia, post omnia, totus, vnus, Ipse. *

Sed quid audeo immensum & infi-

* Αὐτὸς Αὐτὸς Platoni Deus dicebatur quasi prima idearum idea, & supra omniũ excellentiã posita.

nitum ens ſanctis adſtringere numeris? Age mens: adora, & tace. Quin ad te ſermonem & vota conuerto, *Mater Auguſta*, etiam in cœlis humana nobiſque acceſſa, atque apud filium potens & gratioſa, quæ Θεοτόκος orbi Sotera, & verum Charilaum Virgo peperiſti: Gratia magna tibi, quæ clienti opem imploranti tuam numquam defuiſti. Tu mihi in hoc mundi Oceano fluctuanti Cynoſura, tu Helice, ad quã curſum omnem ſemper dirigam, ſiue me æſtus ſiue flatus egerit, certus non niſi fœlicem portum ſic nauigantem poſſe capere. Vos etiam patronos inuoco *Cælites* quotquot eſtis beatiſſimi illius triumphantis Reip. ciues, cuius præſens ſine lapſu, lætitia ſine geſtu, gaudium ſine riſu: vbi denique ab vno omnia ſunt in omnibus. Quam hîc lubens acquieſcerem, & optatiſſimo fine

De Charilao Plutarchus in Lycurgo.

orationem abſoluerem,niſi me grata vestrorum beneficiorum memoria in terras reuocaret: pro quibus ſi non ampliſſimis verbis, at certè ſyncero affectu maximas ago grates vobis vniuerſis & ſingulis huius celeberrimæ Scholæ Medicis clariſſimis; præſertim tibi Petræe Decane meritiſſime: tibi Boujoneri, tibi Guenalde, actuum meorum moderatores obſeruantiſſ. quorum omnium prolixa in me ſtudia & ſumma beneficia ne verbis quidem poſſum æquare. Tanta contuliſtis vt quicquid vobis reddidero, ſemper plurima debeam, &, ſi per anatociſmum creſcit debitum, pluſquam omnia; Quod in me eſt præſtabo ne illa malè collocaſſe videamini, perpetuóque in vos obſequio efficiam,ne me aliquando veſtris muneribus indignum iudicetis. Sic perpetua fiet amoris in me veſtri,

& cultus in vos mei viciſſitudo. Neque te præteribo, Moræe præſtantiſſime, quem & inter ſtudiorum meorum rectores atque μυςαγωγοὺς in primis appellare licet, qui, quâ es in omnes philiatros humanitate, mihi ſemper ſingulari beneuolentiâ affuiſti, & benigniſſimum ſydus affulſiſti. Meritò te ſydus appello benigniſſimum, cuius lumen longè latéque ſparſum & diffuſum, totum in ſingulos diuiditur; quos dum illuſtras, beas. O me beatum, quem in familiaritatem receptum tuo conſortio ſæpius dignaris, ex quo nemo vmquam niſi doctior receſſit. Non equidem in Phocide, ſed totus in te eſt cum Helicone Parnaſſus,

Nec quiſquam locus eſt, quo plus ſe iactet Apollo.

Morus gentilitiũ eſt Moræorum ſtemma, de qua

Iam Morus laurum vincit: vel ſi laurea coronat, certè purpurea mora togam tingunt Apollinarem: hæc

hæc mihi nomen tuum vbíque repræſentabit, cuius chariſſimam memoriam nulla dies, nulla ætas obliterabit. Sed quid ceſſo te affari, Perrelle χαριέστατε? cuius meritis nulla ſatis idonea occurrunt elogia. Homo homini Deus, Tu mihi: Quidni igitur te poſt Deum exoraui? Confuſa turbatur oratio, amor ordinem neſcit. Tu nunc mihi perorandus, qui laboribus meis finem cumulatiſſimum impoſuiſti: Idem dediſti principium, dediſti incrementum, quippe qui poſtquam rudem animum ſapientiſſimis præceptis informaſti,

ipſe ſuis in ſcholam Salernitanam exquiſitiſſimis animaduerſionibus cap. de moris.

Artificémque tuo duxi ſub pollice vultum:

Persius ad Cornutum Præceptorem Satyr. 5.

Meme paterno affectu ex muſei vmbraculis in iatricam palæſtram & apricum puluerem eduxiſti, atque ad ardua quæque erexiſti, animaſti, nec non vtiliſſimis conſi-

liis adiuuiſti. Neque verò beneuolentiam his priuatis teſtimoniis, quamquam maximis, continuiſti; ſed etiam publicis auxiſti. Hæc dum enumero, eadem videor remunerare, ſi quidem ingratus non eſt qui beneficium agnoſcit. Iámque in extremo prope ſtadio deficiebam, atque, vt verè dicam, perieram, niſi me tuis auſpiciis tuâque præſentiâ reſtituiſſes in nouiſſimo illo certamine, cuius tu arbiter fuiſti: tuo deinde patrocinio rude donandum ſuſcepiſti, &, Diuis licet repugnantibus, inter primos collocaſti. Neque hîc conquieuit animus ad beneficientiam pene nimiùm pronus. Lubens grauem alioquin veſperiarum prouinciam extra ordinem recepiſti, in quibus ita me amicè monuiſti, vt tamen nihil omiſeris quod faceret ad Scholæ dignitatem, aut ad officium

meum pertineret. Denique eodem affectu βραβευτὴς & Agonotheta hodiernam pompam orationis ſplendore illuſtraſti, byſſinis verbis exornaſti, & primùm in hanc orcheſtram euectum me magnificè inauguraſti, ac velut opus tuum coronaſti. Sic ſanè tuo plane munere Doctor, tibi doctrinam, ſi quæ in me eſt, tibi togam, tibi pileum, tibi dignitatem debeo æternúmque debebo.

Dixi.

FINIS.

VICTORI PALLV MEdico inaugurato.

ANte alias ars vana nimis, semperne loqueris?
Nec facies vsquam quæ facienda doces?
Vna doces morbi quanam ratione domantur:
Vna doces quanam est arte fuganda febris.
Si qua tamen reuocanda salus; paupercula semper
Vinceris, atque tuâ fortius arte malum est.
Victricem tu te morbi temeraria iactas:
Sed cùm vincendum, ars deserit artificem.
Sic proprios febris iactabat sæua triumphos:

Sic erecto ibat vertice morbus ouans.
Cui contra indignans medicæ mens vna cateruæ,
Bile tumente animo, talia sic retulit.
Ite olim morbi victores, ite catharri;
Ite, ite ad Stygios, turba maligna, lacus.
Nam palus Victor vobis iam se obijcit, vltra
Grassari vestram nec sinet illuuiem.
Et si nec data sunt incerto nomina casu,
Nec sensu careat vocula quæque suo:
En qui vos fausto deuincat & omine VICTOR *,
Sitque ægris, verso grammate, certa SALVS.

* φερώνυμος.

LVDOVICVS FEYDEAV
gratulabatur.

COMMISSA, OMISSA, animaduertenda, quorum plerá- que operarum festinatione, non- nulla meâ irrepserunt, quæ hinc beneuolus Lector supplebit.

*Omnia quæ corrigenda sunt vel addenda, his vncis [ ] concluduntur; quæ margini apponenda asterismo eiusmodi * præterea designantur: Reliqua verò obiter & per occasionem dicta sunto.*

PAg. 4. ad hoc vocabulum ἀσύμβλητοι, nota * [Trifariam res inuicem comparari solét, quorum modorum nullo, si bene intelligantur, elementa cum cœlis sunt comparabilia. consule cap. 6. lib. 2. de ortu.]

Pag. 17. ad hæc verba, fundum mulieris arare & χῆτον incolere, nota * [frequens est vtriusque exemplum, sed appositum, si placet, videbis in illo suauissi-

mo poëmatio, quod docti quidam Apuleio tribuunt, hoc titulo, ἀνεχόμενος ex Menandro.]

Pag. 20. quod enim est in ouo germen &c. * [Alij tamen aliter sentiunt: vide Talentonium cap. 21. lib. 1. reconditarum rerum.]

Pag. 21. mulieribus contra frequens inde ἔκρυσις &c. * [Idipsum præclarè explicat Lucretius postremis versibus lib. 4. de naturâ rerum.] Quoniam verò maximè ad rem faciunt, non pigebit eos hîc obiter referre.

Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more ferarum
Quadrupedúmque magis ritu, plerumque putantur
Concipere vxores: quia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
Nec molles opu' sunt motus vxoribus hilum:
Nam mulier prohibet se concipere atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet:

Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim sulci rectâ regione viáque
Vomerem, atque locis auertit seminis ictum.
Idque suâ causâ consuêrunt scorta moueri;
Ne complererētur crebro, grauidæque iacerent;
Et simul ipsa viris Venus vt concinnior esset:
Coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Pag. 26. lin. 17. corrige [sanguis venis effusus.]

Ibid. lin. 20. corrige [concrescit in grumos.]

Pag. 36. ad hæc verba, laudat Asianos, * [Idem sentit Aristot. cap. 7. lib. 7. politic.] vbi addit, quod maximè huc spectat, Græcorum genus, quemadmodum medium inter Europæos & Asianos locum obtinet, sic amborum affine & particeps esse, cùm sit & animosum & ingeniosum. Controuersiam istam discussimus in primâ nostrâ thesi, cuius vide postremum corollar. pag. 66. & sequentib.

Pag. 61. ῥίζα δὲ αὐτοῦ, &c. * [verba

sunt Galeni lib. 1. de elementis cap. 3.] Cætera huius corollarij sunt ex Aristot. libris de animâ.

Pag. 63. Ad elementa quatuor reuocantur, * [Ex Arist. lib. de sensu & sensili.]

Ibid. quod animæ ratio, &c. * [vide in hanc sententiam pulcherrimum Aristotelis probl. quod est 5. sect. 30. Item Iul. Scalig. exercit. 256.] Cætera sunt ex Gal. lib. de temper.

Pag. 64. ἐν μαλάκῳ sanum * [Prouerbij loco id vsurpatum à Fabio, vide Rhodig. lect. antiq. lib. 6. cap. 1.]

Ibid. hoc sensu cæteris præstat, * [Ita Arist. cap. 15. lib. 1. de hist. animal. sub finem. Vide Vallesium controuers. lib. 1. cap. 11.]

Pag. 66. fere est pro sale, * [sic sui animam pro sale datam dicit esse Chrysippus apud Cic. lib. 2. de naturâ Deorum sub finem.]

Ibid. insitiuo & alieno nutricum lacte, &c. * [Phauorinus apud Agell. multa & pręclara habet in hanc sententiam cap. 1. lib. 12. noct. Atticar.]

Pap. 110. lin. antepen. corrige [assignat Thomas Aueiga, comment. in cap. 4. lib.

1. de different. feb. ex Arist. probl 5. sect. 10.] Vbi animaduerte hîc μνημονικὸν esse ipsius Aueigæ ἁμάρτημα, nihil enim tale in illo problemate legitur.

Pag. 112. nisi homini, &c. nota * [ex probl. 6. sect. 2. & de partibus animal. lib. 2. cap. 7.]

Pag. 123. non vitæ finis, * [Ita Arist. cap. 2. lib. 2. Physic.] hîc obiter aduerte vitæ terminum dupliciter spectari, ni. vel vt est communis toti speciei, sicque esse necessarium & certum, vel vt est particularis singulis indiuiduis, & sic esse incertum miniméque præfixum, licet alioquin semper sit ineuitabilis.

Pag. 124. omnis doloris expers, * [ex Arist. lib. de morte & vita, item de respirat. Platone in Timæo, & in Dialogo de natura: Idem asserit Galenus noster cap. 8. lib. 1. de different. feb.] Hoc genus mortis vt mitissimum, ita & rarissimum: ac forsan Sophocles vnus in tam raro exemplo numeratur.

Ibid. ad hæc verba, οἱ νοσέοντες, &c. * [verba sunt Hipp. initio lib. de flatib.]

Ibid. ad hæc verba, quam plerique etiam inscij, * [Id docet Hipp. lib. περὶ τέχνης] Qui ex eo artis medicæ præstan-

tiam arguit, quòd qui ne eam quidem esse existimant, eius tamen ope seruati conspiciantur.

Pag. 125. ad hæc verba, prima dies calidissima, * [verba sunt Hipp. lib. de nat. hominis sub finem: idem demõstrat Gal. 1. de sanit tuenda] hinc dicitur Senectus via ad putredinem cap. 1. lib. 4. Meteor. Arist. & 5. de generat. animal. γηράλιον quasi γεηρόν τι, quid terreum, hoc est, frigidum siccum.

Ibid. ad hęc verba, μάρανσιν, &c. * [vide Arist. cap. 4. lib. de iuuent. & senect.]

Pag. 126. ad hæc verba, ambientis furto, * [sententia est Vallesij comment. in cap. 1. lib. 4. Meteor.]

Ibid. καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ ἀνάγκῃ * [vtrumque explicat Duretus in Coacam. 2. appendicis ad cap. 2. lib. 3.]

Pag. 129. intus melle, &c. * [referente Cœlio lect. antiq. lib. 6. cap. 6. Plinius quid simile Pollioni tribuit.]

Ibid. ex auro panes, * [Suetonius in Caligula]

Pag. 130. ἀπὸ τῆς στερήσεως, &c. * [Arist. cap. de oppositis.]

Ibid. Μακροβιότης, &c. * [hæc desumpta sunt ex libello Arist. de longit. &

breuit. vitæ.]

Ibid. Hinc etiam homines in locis calidis degentes, &c.* [ex probl. 9. sect. 14. in quod vide doctiss. Septalium.]

Pag. 143. lin. penult. corrige [mores tuos participarem, & heroïcos, &c.] hoc emẽdauimus in plerisque exemplaribus.

Pag. 144. lactis sinus paucas atramenti, &c.* [τὸ γὰρ λευκὸν τῆς ἀγαθοῦ φύσεως· τὸ δὲ μέλαν τοῦ κακοῦ. Pythag. apud Laërtium.]

Pag. 148. lin. 14. corrige [in corpus tamen intemperatum nihil, &c.]

Ibid. lin. 18. corrige [quòd *contrariorum eadem sit ratio, quòdque ea sese mutuò*, &c.]

Ibid. lin. vlt. corrige [contrarium.]

Pag. 154. lin. 14. corrige [ἄρχονται.]

Pag. 185. ipsius tum passione, tum actione,* [hoc docet Thomas Aueiga comment. in 4. cap. lib. 1. de diff. feb.]

Pag. 186. nullæ quintanæ, &c.* [Hippocrates quidem admittit, Galenus tamen negat cap. 8. lib. 1. de different. feb. Quid si dicamus esse verè tertianas vel quartanas, quæ vnâ accessione ferientur, quemadmodum è contrario geminatis paroxysmis fiunt duplices?]

Pag. 190. νόθον ἧπαρ * [ex Arist. sententia cap. 7. lib. 3. de partibus animal.]

Pag. 191. numquam lethalium, * [Hippocrat. Aph. 43. sect. 4. vide Galenum in comm.]

Pag. 192. Ex antecedentibus & consequentibus * [quænam illa sint docet Galenus lib. 1. ad Glauconem.] Cætera ad thesim pertinentia repete ex vltimâ resumptâ.

Pag. 231. in margine dele, lib. de insomniis, & repone * [in prorrh. & Coac. Prænot.]

Pag. 233. lin. vltim. corrige [spurij.]

Pag. 279. lin. 6. corrige [naturæ arcanis.]

Pag. 286. citatur Acro in hæc Horatij verba ex Satyr. 5. lib. 1.

Prætextam & latum clauum prunaque
batillum.

Vbi hæc ille habet, *latum clauum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum, Græci τὸν κολοβιῶνα vocant. Vsum eius hodie retinent principes, inijcientes vesti à ceruice ad pectus indumentum ex purpurâ, vel pellibus pretiosis muris pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Hactenus Acro, ex quo colligo humerale nostrum,

quod vocant, ſatis aptè latum clauum dici poſſe, ſeu ex Petronio, mappam laticlauiam mure pontico aut alio vellere pelliculatam. Vide Cuiac. obſeruat. lib. 12. cap. 39.

Pag. 296. * [poſt paulò initium cap. 10. lib. 35. natural. hiſt.] nota hæc non deeſt in pleriſque exemplaribus.

Pag. 337. lin. 6. corrige [μηδὲν.]

Pag. 352. textus Caſſiodori integer nō eſt appoſitus; itaque hæc ad illius finem adde, quæ maximè ad rem faciunt, & ad emendationem D. Perrelli confirmandam [*Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in cæteros.*]

Pag. 365. lin. 9. corrige [vt plurimùm ſymptoma eſt.]

Pag. 375. Pruſias * [non de Pruſiâ ſed Nicomede Bithyniæ rege hoc dicitur apud Plut. lib. 11. de virtute fortunáque Alexādri, vbi ipſe Nicomedes capite caluo & pileato procedēs, libertum Romanorū ſe dictitabat. Sed profectò mentita Plutarcho ibi eſt memoria, vt aduertit Marcilius in Satyr. 5. Perſij, qui ſententiam ſuam confirmat auctoritate Polybij, Appiani, & Diodori, de Pruſiâ hanc hiſto-

riam referentium.]

Ibid. triplex libertinitas, &c. * [Hinc libertini Iuniani qui & Latini, non autẽ Quirites: Dedititij qui neque Latini neque Quirites, ſed conditione non multùm meliore quàm ſerui: Iuniani verò viuebant quidem vt liberi, ſed moriebantur vt ſerui. Inſtitut. §. ſed hæc. de ſucceſſ. libertin. Romana autem libertas legitima dicebatur, maior, & iuſta, §. vlt. inſtit. tit. de libertin. atque etiam perfecta ſiue παντελὴς ἐλευθέρωσις Plutarch. in Valerio: quippe quâ ius ciuitatis conſequebantur Libertini, fiebántque Quirites ex legitimâ manumiſſione, quæ triplex tantùm erat, cenſu, teſtamento, vindictâ: vt cõſtat ex fragm. Vlp. tit. de libertis. De hac, ni fallor, non de qualibet intelligendus Perſius, dum ait Satyr. 5. *quibus vna Quiritem vertigo facit*.

Pag. 377. lin. 11. in aliquot exemplaribus hęc verba tranſpoſita ſic repone [prouidentiâ vim.]

Cæterùm plures ſunt paſſim accentus, virgulæ, commata, perperam poſita aut omiſſa, quæ beneuolus Lector facilè recognoſcet.

Laus Deo.